



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Libri Tres de Vita Beati Ottonis Sueui Comitiss, Ducis Poloniæ legati,
Imperatoris Heinrichi Cancellarij, Episcopi Bambergensis, & Confessoris, &
Pommeranorum Apostoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

LIBRITRES
de
Vita

BEATI OTTONIS
Sueui Comititis, Ducis Poloniæ legati, Imperatoris Heintici Cancellarij,

Episcopi Bambergensis, &
Confessoris, &

Pommeranorum Apostoli.

AUCTORE,

Anonymo, συγγραφέα.

Vbi

Præter multa de rebus Pommeranorum, Saxonum, Danorum, Polonorum, Ruthenorum, Hungarorum, Boemorum, Tentonum. aliâq; scitu digna, continentur etiam

Epistolæ { *Sancti Ottonis tres*
Paschalis Pontif. tres
Kalixti Pontif. dua.
Innocentij Pontif. vna.
Polixlai Ducis Polonorum dua.

&

Imbriceonis Episcopi Herbipolensis oratio in funere
S. Ottonis,

Omnia nunc primum edita è m. s. codice monasterij Monsee. & notis illustrata ab

Henrico Canisio Nouiomago. IC.

INCIPIT PROLOGUS IN
vitam beati OTTONIS Episcopi Baben-
bergensis.



SCRIPTURVS vitam beati OTTO-
NIS Episcopi, ac POMMERANÆ gentis A-
postoli, grandi quidem affectu, sed impari
facultate materiam ingredior sacram, duo
hæc finaliter intendens, vt virtutum & me-
ritorum eius Auctor Deus, in illo glorificetur,
& de lucerna in domo domini sublimiter accensa, pie-
tatis ac deuotionis lucem fideles accipiant. Christo enim Matth. 5.
2. Cor. 7. bonus odor est in ipso & vniuersa Ecclesia. Tamquam pa-
ranymphus & amicus sponsi flagrans & ipse vnguentis o-
ptimis, vnguento contritionis ac deuotionis; & in Deum
ac proximum preciosæ pietatis. Vnguentum enim con-
triti cordis & humiliati, tamquam pauper spiritu pedibus
domini suppliciter exhibuit, aperiens os suum in oratione,
& pro delictis suis iugiter interpellans; vnde & Christus
purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu
ipsius. Vnguentum autem deuotionis, in quo recordatio
diuinorum beneficiorum intelligitur, in obsequium diui-
ni cultus, tamquam in caput redemptoris, tam piè ac co-
piosè effudit, vt expresse de illo dictum videatur: Ioan. 12. Et do-
mus impleta est ex odore vnguenti. Non solum enim sua
persona, tamquam sacerdos & pontifex per exhibitionem
cœlestium sacramentorum obtulit domino sacrificium iu-
stitiæ oblationes & holocausta accedens per semet ipsum ad
Deum, sed etiam in diuersis locis, in vicinis & remotis
Episcopis grandi sumptu & labore Christo multas fundauit
& restaurauit Ecclesias in quibus miserationes Domini
Ss 3 reco-

recolantur, & spiritualibus disciplinis, ac diuinis sacrificijs mors domini annunciatur, donec veniat. Vnguentum autem pietatis, quod de latissimo sinu caritatis, ex omni specie misericordiae, tamquam ex aromatibus, & omni puluere pigmentario, vniuerso corpori praeparatur, quis abundantius membris Christi exhibuit? Taceo infinitas eius expensas, & miserationes quas fecit in Ecclesijs domini coram Deo immortales, transeo Eleemosynas illius, quas in locis definitis, in hospitalibus, & mansionibus pauperum diligentissima cura, redemptiones captiuorum, quas in terras alienas ac remotas mittendo erogauit, & immensam pecuniam, quam de manu eius in caelestes thesauros manus pauperum quotidie deportauerunt, quis enumerare sufficiat? Profecto miserationes eius super omnia opera eius. Nam non solum sua, sed etiam seipsum pro lucro animarum Christo impendit, diuinitus ab iplo directus in poenitentiam POMMERANÆ gentis, cuius per Euangelium Christi tulit abominationes, & gubernauit ad dominum cor ipsius, perferens in ea, contumelias, persecutiones, passiones: & feruentissimo cordis affectu, pro lege Dei sui mori, coronamque martyrij adipisci desiderans. Hæc idcirco breui epilogo præmissi, vt quantus sit iste, de quo sermo habendus est, in capite libelli, videatur, & de tanto pontifice, de nouo patrono, non solum nostra specialiter, sed etiam omnis generaliter Ecclesia gloriatur, qui senescente iam sæculo & ad occasum vergente, secundum incrementa & consumationes perfectionis apparuit, quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi lux plena in diebus suis lucens, & quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei, Romani imperij ac sacerdotij firma mentum, gemma sacerdotum, spiritualis ordinis decus & praesidium, prædicator veritatis, & doctor gentium, Marcha
 sic.

frequens, & feruens in obsequio Domini Iesu, pater, minister, ac susceptor peregrinorum, captiuorum, & omnium membrorum Christi. Scripta sunt autem in libro hoc, quæ religiosi ac probatissimi viri, ab ipso gesta oculis suis viderunt, & nobis fideliter enarrauerunt, vt in testimonio veritatis nihil priuati amoris & gratiæ inferatur, sed opera eius quæ in DEO facta sunt, summa sinceritate & veritate in honorem Dei & vtilitatem Ecclesiæ proferant.

*INCIPIT VITA VENERABILIS ac Deo digni OTTONIS Episcopi
& Confessoris Apostoli Pommeranorum.*

EMPER honorandæ ac diuinæ memoriæ, Otto beatissimus ex SVEVIA duxit originem, Parentes eius equidem Patrem & matrem, ingenuæ conditionis nobilitate clari & honorabiles, in diuitijs autem & opibus mediocres, filium suum in primæua ætate literis erudiendum, disciplinis scholaribus tradiderunt. Qui cum diligenter enutritus, in spe bona ad annos discretionis peruenisset, ipsi defuncti sunt, & quæ in possessionibus, & pecunia reliquerunt; alter filius eorum FRIDERICVS miles futurus possedit.

OTONE igitur gratia studij apud extera loca demorante, frater eius puer, domum pro suo posse gubernabat, tenuiter adiuuans fratrem suum in studio positum, OTTO autem percursis aliquibus Poetis & Philoso-

Philosophis, & Grammaticæ, metrorumq; regulis, tenaci memoria commendatis, cum ad altiora studia non haberet sumptus fratri suo siue alijs cognatis importunus esse noluit, vel odiosus, iam cum in ipsa adolescentia verecundiam secutus, & bonæ opinionis pulchritudinem. Itaq; in **POLONIAM** peregre vadens, vbi sciebat literatorum esse penuriam, scholâ puerorum accepit, & alios docendo, seq; ipsum instruendo breui tempore ditatus, atque honoris habitus est, linguam quoque terræ illius apprehendit, atque ad altiora paulatim progrediens, parsimonix, frugalitatis, & castimonix disciplinis literaturam adornabat. Ob ea igitur studia omnibus gratus, magnorum virorum atque potentum, suffragante sibi etiam corporis elegantia, contubernio ac familiaritati sese applicuit, legationibus etiam & responsis, inter magnas personas differendis, adprime aptus erat. Deniq; occasione legationum duci **POLONIÆ** innotuit, magnamq; in oculis eius & totius curiæ gratiam inuenit, ita vt Duci placeret talis clerici obsequio domum suam honestare. Ita ergo se multa oportunitate, ac modestia Duci aptauit, & toti curiæ gratum fecit. Cumq; aliquot annos probe & sapienter ibi mansisset, vxor Ducis defuncta est. Expletis igitur diebus lamentationis ac luctus, cum se lætius Dux habere cœpisset, **OTTO** cum maioribus terræ, qui frequentes erant in tanta re, & inuestigare cœpit de animo Ducis, si quomodo vellet ad alios thoros venire cogitaret, adiungens quod in partibus **THEVTONICIS**, honestissimum posset inuenire matrimonium, per quod magna nobilitas, in amoto totius **THEVTONICI** regni potentia summis amicitijs cõiungeretur. Dum hæc **OTTO** crebro mouet, sermo ad Ducem perlatus est.

Primo autem apud se ille tractare, deinde consilium habere

habere cum alijs, postmodum ipsum OTTONEM ad consilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque OTTO de maiestate ac potentia ROMANI Imperij, & de antiqua & clarissima Regis prosapia pauca præmittens, de viduitate sororiseius, domino viduæ, quodq; eam Imperator dignis thalamis sociare volens, totius curiæ, ac Principum, super hoc consilium expectaret, plurima subiunxit, felicem fore affirmans, cui ante pulchritudinis thorus contingeret.

Ex parte autem Ducis monebat ultra in Imperijs nihil ei quærendum, nisi amicos, genus, potentiam, utpote cui opes abunde suppeditarent. Quid plura? Dux ipse omnesq; consilij participes à Deo sermonem esse dicunt. Deinde magis ac magis ducem hortantur sui, monent publicè ac priuatim, hoc tam ingens decus, tam oportune venientem gloriam maturè captandam. Vbi autem ad plenum Duci res animo sedit, non prius adgredi voluit, nisi & hoc principibus POLONIÆ placeret. Habito igitur colloquio inuenit assensum; id idem omnes sequuntur, probant, cupiunt, tanta claritate, tantaque nobilitate illustrari POLONIAM.

OTTO igitur pro tali consilio magnus & clarus habitus est. Cum ergo de nuncijs ageretur, ipse eligitur, & magni summiq; viri ei decernuntur; vestitur, ornatur, ditatur, omnibusque necessarijs, quæ vsus honorq; poscebat, habunde expedituri, sicq; in multa gratia dirigitur in summa legationis secretissimo officio gratiam & gloriam recepturus. Eo tempore soror Imperatoris in contubernio us digno honore & apparatu manebat, de qua ille magnæ affinitatis sperans necessitudines, secundum magnificentiam generis ac potentia, felices de illa nuptias expectabat. Acceptis igitur nuntijs & petitione Ducis rex hilari-

ter respondit, magnæ legationi, consilio principum se responsurum pollicetur, gratias tamen agens DEO, vota sua de honore sororis oportune promotum iri. Consilium igitur de tanto negotio habens cum Episcopis & Archiepiscopis alijsq; principibus seu magnis viris, magnificè tractat rem & retractat, nuncijs interim ad decus imperiale bene habitis. Denique vbi satis omnia exquisita viderent, vocatis eis, rem per se breuiter exequitur Imperator; Ducem POLONIÆ, nobilitate, opibus ac potentia dignum altis thalamis, sororem suam vnicam vnici fratris, gratam sibi pro cunctis rebus libenti animo tali viro copuletur, quia suis fidiſſimis hoc visum sit Consiliarijs. Addit etiam hoc commercio duos populos cõfœderari, POLONIÆ res nobilitari, Duci amicos potentiam & gloriam conquiri. Figitur ergo contractu, locus & tempus, remittuntur nuncijs, magnis cumulati muneribus, ingens vtrinque apparatus pro personarum dignitate nuptialibus rebus componitur. Duce igitur optatis thalamis potito, maior iterum gratia OTTONI accessit, sui que paranymphæ Domina oblita non est, in omni domo sua inditum ei erat, & familiarem eum habens.

Et quotiens germano suo Imperatori dona vel responsa mittebat, OTTO internuncius & fidus mediator fuit, factaque est per eum vna res publica, domus Imperatoris & domus Ducis. Cumque inter eos sæpe iret, & rediret Imperator, vir sagax legati fidem & prudentiam animaduertit; & quamuis sorori ac sororis marito, commodum cum ac naturã agnosceret, intelligebat tamen altiori dignitati hunc fore oportunum,

Quare clementi beneficentia eum alliciens, sorori pro eo scripsit verba postulationis, suis dicens talem Clericum obse-

obsequijs necessarium. Soror autem & Dux in multis diuitijs beneficientes Capellano suo, in multa honestatis gratia Imperatori eum quamuis inuiti dimiserunt.

QVOMODO TRANSLA-
tus in curiam fuerit Impera-
toris.



MPERATOR vero primo in leuibus eum rebus exercens, familiari eius seruitio in multis benè vsus est, Psalmos & orationes priuatas sed quādo vacabat cum eo ruminare solebat. Nam aded literatus erat Imperator, vt per se breues legeret ac faceret. Videns igitur hoc placere Imperatori, psalmos & hymnos, capitula & orationes per totum annum, vt memoriter versum dicens posset affirmare Clericos elaborabat, alijsq; capellanis aliàs intentis, hic semper præsto erat, & PSALTERIUM, quo vti solebat Imperator sub * asella sua iugiter habens vel ad sellam suam iugiter dependens, quociens opus erat requirenti obtulit Imperatori. Nihil enim OTTONIS solercia negligēdum putabat, quo sibi gratiā Domini putabat cōciliare valeret, vnde mane, vesperi, omni tempore cum Psalterio suo ad manum Imperatoris præsto se OTTO exhibuit.

II.

* i. axella,

Porro illis diebus inuestituras Ecclesiarum Imperatores * solebant, & quotiens Episcopi decedebant, id moriserat, vt Ecclesia illa baculum & annulum Imperatori transmittens, de curia expostularet Episcopum.

fort. habebāt
vel: conserre
solebant.

Multi ergo nobiles & magni viri, cognati ac filij principum

Tt 2

cipum

cipum in curia degebant spe promotionis, vice Capellano-
 rum Imperatori obsequentes. Inter quos omnes tam æ-
 qualiter & compositè OTTO se gerebat, vt neque ex elatione
 inuidiam, neque ex vilitate despectum incurreret.
 Deniq; quod eo qui Cancellarius fuit, ad Episcopatum
 sublimato, OTTO sigillum Imperatoris & officium Cancellariæ
 suscepit; tantaque industria & bonitate se in illa
 gessit, vt ab omnibus curialibus amaretur, & à cunctis ei deferretur.
 Imperator vero famosum ac laboriosum opus SPIRENSIS
 monasterij habebat in manibus, omnes sapientes ac industrios
 architectos, fabros cementarios, aliosque opifices regni sui,
 vel etiam de alijs regnis in ipso opere habens, aurum & argentum
 & pecuniam multam sumptusq; infinitos annis singulis
 expendebat. At magistri operis, partim negligentes, partim
 etiam sua commoda sectati rem tarde promouebāt. Comonitus
 ergo Princeps à fidelibus suis, de iactura impensorum, diligentius tractare
 cepit, ac securus de OTTONIS fide, diligentia, & sagacitate,
 omne opus ei commisit; præcipiens vt tam opifices, quam
 magistri eorum illi soli parerent, omnemque pecuniam, sumptus,
 & impensas ab eo expeterent, illique retaxarent. Sed Quid?
 Non facile dici potest, quanta conseruatio rerum facta sit,
 & quanta structuræ promotio. Ita ergo in omnibus rebus,
 Deo propitio, præstabilem se & charum summis & mediocribus Otto faciebat,
 in aula regis, quasi alter Ioseph, curā gerens vniuersorum.



QVO.

QVOMODO BABENBER-
gensem Episcopatum adeptus sit.

INTEREA RVPERTVS BABENBERGENSIS
Episcopus de hac vita migravit. Itaq; ex more
temporis, insignia Episcopatus ad curiam allata
sunt, & petitio Ecclesiæ pro pastore. Sed Im-
perator consilio sex mensium ponit inducias; Ecclesia ve-
ro Babenbergensis cum Clero & populo, Deo interim de-
votissime pro idoneo rectore, supplicabat. Elapsis ergo in-
duciarum diebus, cum iam tempus esset mittendi ad cu-
riam pro Episcopo, Imperator benignitatis & gratiæ literis
nuncios euocans, idoneum illi Ecclesiæ inuentum, indi-
cat Episcopum. inter spem & metum anxij attentius rem
domino Babenbergenses commendabant. Abentibus
ergo nuncijs, in summis & præcipuis de ipsa Ecclesia viris,
tam Clericis quam laicis, reliqui omnes à minimo vsq; ad
maximum, in proxima dominica ante Natiuitatem domi-
ni, elatis CRVCIBVS cum processione montem beati
MICHAELIS ascendunt, angelica suffragia quæsituri; scili-
cet Beatus Michael archangelus cælestis militiæ signifer
negotio huic se ingereret, vt eius strenuo interuentu, stre-
num, bonum & gnarum super se prouisorem accipere
mererentur. Quos in misericordia & veritate summa diui-
nitas, interuentu archangeli, exaudiuit, vt ipse rerum pro-
bauit euentus. Nam & legati Ecclesiæ ab omni Imperato-
ria maiestate honorabiliter suscepti sunt, & optime de ne-
gotio suo expediti. Imperator etenim annuens eis, Quan-
tam, inquit, sollicitudinem geramus pro Ecclesia vestra
hinc aduertere potestis, quod non temerè aut subito re-
ctorem vobis destinandum putauerimus; sed magis con-

III.

filio & deliberatione, mora temporis & cura diligenter ex-
 quifita. Nec mirum sane; à noſtris enim proximis ac pro-
 genitoribus, vt noſtris, Eccleſia fundata, prædijs & poſ-
 ſeſſionibus * ſcō datis, & ministerialibus & omnium
 rerum affluentia ditata & ſublimata eſt: & quas de alijs Ec-
 cleſijs non poſſumus, hæc omnino illi adhuc integra ma-
 nent, & conſueta. Quare intelligibilem dominum, pro-
 uidum & ſagacem, & rerum conſeruatorem, non vanum,
 non ſuperbum cōuenit intromittere rectorem. Vnde aliàs
 non ita ſolliciti ſumus, ſed cito, & abſq; temporis datione
 fecimus q; faciendum erat. Cumq; his & huiuſmodi verbis
 conſilium ſuum legatis ſemel & iterum comēdaret Imper-
 ator, quidam ex eis tanq̄ proteſtaretur dilationem, vbi
 nam, vel quis eſſet ſciſcitantur. Imperator, nonne, inquit,
 præſto eſt; & manu arripiens OTTONEM capellanus ſuum,
 (ibi enim erat, elegantis perſonæ, ac indutus bonis veſti-
 bus, tonsura, forma, totoq; habitu intus & exterius cleri-
 cum præferens) En, inquit, Hic eſt, hic eſt dominus veſter,
 hic eſt BABENBERGENSIS Eccleſiæ Antifites. Conſternati
 ad horam illi ſeſe inuiti reſpiciunt, illumq; oculis deiectis
 ſumunt & reſumunt; alijq; nobiles circumſtantes, qui aut
 ſibi aut ſuis cupiebant, nutu ac muſſitatione legatos, quaſi
 ad contradictionem inſtigabant. Legati autem ſubtriſtes,
 Sperabamus, inquit, aliquem ex dominis & principibus
 curiæ noſtræ, parentatum, ac nobis notum, dominato-
 rem nos accepturos. Nam hunc, quis ſit aut vnde ſit, igno-
 ramus. Imperator autem reprobationem perſonæ haud ſu-
 ſtinens, Et vultis, ait, ſcire quis ſit? Volam⁹, inquit, profe-
 cto, ait, Ego pater eius ſu. n. & BABENBERG. mater ei⁹ debet
 eſſe. Verbum hoc mutare non poterimus. Si quis autem
 huic noſtræ ordinationi, quæ à Deo eſt contrariare tempta-
 uerit, offenſam indignationis procul dubio incurret. Non
 enim

enim leuitate aut priuatis commodis ducimur, sed quod honestissimum, & maximè illi Ecclesiæ necessariū esse perspeximus, id simplici animo in hoc negotio sectati sumus. De expertis rebus non necessarium iudicium est. Longa hunc hominem experientia & probatione didicimus; patientiam, prudentiam, sagacitatem, & diligentiam in exequendis paruis rebus, strenuitatem eius in magnis negotijs notam habemus. Deniq; absentatio eius magnum domui nostræ impedimentum fiet, quam ipse de omnibus rebus strenuè ac fideliter expedire solebat. Otto igit̃ audita clementia Imperatoris, ad pedes eius sternitur, vbertim lachrymas fundens. Accurrerunt legati prostratum leuant; ille humiliter recusat; se pauperem, se indignum tantæ dignitatis affirmans; illustrius esse, viros ingenuos, claros, nobiles, potentes, ac diuites, & concapellanos suos, ad tales honores conscendere. Cernitis, ait Imperator, qua hic homo feratur ambitione? iam tertio recusat; iam duos Episcopatus sibi oblatos ad socios transferri rogauit. Quid vobis videtur? AVGVSTIENSI Episcopatu eum locare volumus; sed iste sciens, quod hæreditas ad quam primo festi-
Prou 20.
 natur, in fine benedictione carebit, eos qui se priores in laboribus & exercitijs curiæ nostræ excitantur, prius ad quietē venire iustum esse dicebat. Postea vero de Halberstadeni Episcopatu sibi à nobis oblato similiter fecit. Quid ergo? Spero ait BABENBERGENSIS Ecclesiæ, hunc diuinus esse reseruatū. Hæc dicens, anulū Episcopale digito eius infixit, & baculū dedit illi; sicq; vestitū legatis consignauit. Moxq; ab omni curia ei acclamat. Legati ergo re à Deo esse cognoscentes suscipiunt, amplectuntur, dominū & patrem suum illum vocantes. Quos etiam alloquens Imperator, Assumite, ait, dominum vestrum, & omni reuerentia, dilectione ac bonitate ipsum complectimini. Testor eam
 qui

qui nouit omnia, nō me hominem nosse mortalē, cui honestius ac tutius eius loci cura credi potuisset. Me quoq; uiuo & in Imperio Romanorum posito, qui hūc tetigerit, tanget pupillam oculi mei. His modis, hoc ordine, ad pontificatus gradus scandere coactus, ægre quidem, & cum multa hæsitatione consensit, propter de inuestitura contentionem inter regnum & sacerdotium, & propter electos Ecclesiarum, quas euacuare, ac sibi vindicare, ui magis quam iustè laborabat imperialis auctoritas. Cogitabat etiam non absq; diuinitatis intuitu, tertia iam vice Episcopatum sibi offerri, quem si tertio repudiasset, timuit ne sententiam incurreret illam, qua dicitur noluit benedictionem & elongabitur ab eo.

Itaque in his angustijs positus, quod solum salutare putabat ad sanctæ & Apostolicæ sedis Catholicæ matris auxilium confugere delegit. In ipso igitur articulo adhuc in curia positus, uouit Domino uotum uouit Domino, nunquam se in Episcopatu mansurum, nisi & consecrationem pariter, & inuestituram canonicè consensu & petitione Ecclesiæ suæ à manu Domini Apostolici suscipere, mereretur. Diem autem Natalis Domini Moguntia cū Imperatore celebrauit, dehinc retentis ex parte atque ex parte dimissis legatis, qui pro se uenerant, in curia mansit diebus pene XL. decore magno & honestate, Imperatore ipso & omnia uala plurimum deferente.

QUOMODO IN EPISCOPATUM DEDUCTUS SIT.

IV.

REST hęc Princeps AVGVSTENSI & VIRZBURGENSI mandat Episcopis, alijsq; de curia sua honoratis uiris, qui honestissima societate, atq; ingenti comitatu ad sedem suam in uigilia purificationis beatæ semper uirginis MARIÆ BABENBERG

BERG cum deducebant, omni Clero & populo in magno desiderio & expectatione positus. Itaque propinquante illo ad locum, ubi primitus conspiciere potuit monasterium cathedrale, ab equo descendit, calceam eam soluit, humilitatem cordis, habitu corporis ostendit frigora, niues, & glaciem Februarij, nudis pedibus, usque in ædem beati GEORGIJ calcavit, occurrentibus ei longo examine Clericis & monachis, nobilibusque laicis in multitudine copiosa cum uniuersa plebe BABENBERGENSIS Ecclesiæ, in pompa & processione gloriosa, in ornamentis & reliquijs sanctorum in hymnis & confessionibus, persona ac tempore oportunitatis, tantaque fuit exultatio & decus susceptionis, ut verbis explicari non queat. Salutatione autem completa, penetrabile gelu pedes Episcopi ita adusserat, ut vitæ sedem cor, & vitalia frigus ex toto pene possederit; Episcopus autem rerum gnarus, alijs aquam calidam ad lauandos pedes offerentibus; ille frigidam poposcit, & imponens pedes, frigore frigus pulsauit. Memor ergo * non sui, post paucos dies susceptionis suæ, antequam de alijs rebus suis ordinaret, nuncios Romam mittit & literas in hunc modum.

* al. vob.

QVOMODO LITERAS APOSTOLICO miserit.

DOMINO & patri suo PASCHALI sanctæ & Apostolicæ sedis uniuersali Episcopo, OTTO BABENBERGENSIS Ecclesiæ id quod est, tam deuotæ quam debitæ subiectiones, orationes & seruitium.

V.

Quia totius Ecclesiasticæ dignitatis ac religionis firmitermentum in Christo petra est, & in Petro eius discipulo, Matth. 16, &

Psalms 44.

& eius successoribus; ideo ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum pontificatum, & omnium potestatum in Ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur pater sanctissime, & sanctæ matri nostræ Romanæ Ecclesiæ collum deuotè submittens, auxilium & consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens & gratiam in oculis eius inueniens, suspectam habens, in manu principis in vestituram; semel & iterum, cum dare vellet, renui Episcopatum. Nunc vero iam tertio in BABENBERGENSI Episcopatu me ordinauit, in quo tamè minimè permanebo, nisi vestræ complaceat sanctitati per vos me inuestire & consecrare. Quidquid ergo placeat discretioni vestræ, de me per nuncios mihi significate seruo vestro; ne forte in vanum curram, si ad vos currere incipiam. Omnipotens mihi propitium incolumitatem vestram custodiat.

Gal. 2.

Dominus autem Apostolicus visis literis gaudens, eo quod pauci Episcopi TEUTONICI regni, in ea malignitate temporum, matri suæ vt iustum esset, deferrent, ac ei tales literas destinauit.

RESPONSALES DOMINI

Papa ad Ottonem.

VI.

*Pro. 10.**leg. quærotius.*

RASCHALIS seruus seruorum Dei OTTONI dilecto fratri Babenbergensis Ecclesiæ electo salutem & Apostolicam benedictionem. Filius sapiens lætificat matrem suam. Opera tua & consilium tuum, virum præferunt sensatum. Nos igitur honorare, & profectus tuos iuuare congruum duximus. Nihil ergo de nostra beneuolentia dubitās tua nobis * quod totius valens præsentiam exhibeto. Certi enim sumus quod diuina sapientia etiam malis hominibus bene vti nouit.

Quomo-

QVO MODO SEDEM APOSTOLI-

cam post electionem adierit, & curam resignauerit.

EGITUR acceptis literis iuxta verbum Domini Apostolici, beatus OTTOROMAM, in ascensione Domini veniens, transiuit, & * Manianam ciuitatem Campanie dominum Apostolicum inuenit. Porro viri honorati, qui cum eo erant, data & accepta salute, dominum Apostolicum etiam ex parte salutant * calce; subdentes petitionem & vota pro electo. OTTO vero nihil cunctatus ordinem & modum ascensionis aperit, fatetur omnia, baculum ponit & annulum ad pedes Apostolici, temeritatis vel errati veniam petit; insinuans tamen non voluntate sua, sed potestate factum aliena. Pro quo & seuerius in se canonicę distributionis sibi imprecatur ultionem. Apostolicus vero, vir summę prudentiæ, constantiam eius admiratus, leuare iubet insignia. Negat ille; indignum se & peccatorem protestatus. Cum Apostolicus, sancti spiritus, inquit, festum propinquat, tanti * arbitrij consilij rem hanc commodare debemus. Deinde ubi de his satis vtrinque dictum est, benedictione accepta, OTTO cum suis ad hospicium adgreditur. Ibi multa secum tota nocte, & sequenti die tractabat malitiam temporum, anxietates & pericula pastorum, inobedientiam & inquietudines subditorum; postremo quidquid in tali re, duri vel aduersi esse potest ante oculos ponebat, ac plena deliberatione omnibus depositis, priuatus & quietus apud se viuere decreuit. Itaque * astuti socijs via, quid deliberasset aperuit. Moxque valefaciens domino Apostolico, & curie, per viam qua venerat, redire cepit. Cumque iter cucurrisset missis legatis, sub sanctę obedientiæ mandato Apostolicus redire iubet ab eum, mittit dona donorum significantia, monet cor & corpus aptare * spiritus sancti. Quid faceret? Obedientia retrahitur, à comitibus repellitur, & cum tremore ac reuerentia iuxta mandatum

VII.

l. in Anagnina ciuitate.

l. Ecclesia intellige nomine Ecclesia Babenbergensis.

l. arbitrij

l. accitis.

l. Spiritus sancti vel donis spiritus sancti.

datum domini Apostolici reuersus, in sancto die sacrosanctæ Pentecostes, petentibus nuncijs * talis suæ ab ipso domino Apostolico inuestitur, multoq; decore ac letitia totius curiæ, sancti spiritus inuocatione, inter missarum solennia in Episcopum consecratus est. Et reuertens de itinere literas expectanti Ecclesiæ suæ præmisit.

*LITERÆ OTTONIS CHORO
& Capitaneis post reditum a sede Apo-
stolica destinata.*

VIII.



O TTONI Dei gratia Babenbergensis Episcopus, **EBERHARDO** Præposito, **ADALBERTO** Decano, cæterisque fratribus omne bonum.

Quantum ego noui & expertus sum caritatem vestram, scio vos iam diu expectare euentum nostri laboris, ut de nostro successu siquidem bene, per misericordiam Dei gaudeatis. Ne ergo diutius suspensi aut dubij sitis de nobis, aut si iustum est sincerissime gaudeatis, literis istis vobis significare decreuimus, quàm misericorditer Deus more suo post immensos labores, & sudores plurimos, nobiscum operatus sit. In die Pentecostes sancto, qui ex aduentu sancti spiritus factus, & cunctis fidelib^o vniuersæ solennis est, illo inquam die, Deo sic ordinante in **ANANIA** ciuitate **CAMPANIÆ**, quæ **ROMANAM** diuidit & **APULIAM**, Episcopalis benedictionis munus, quamuis indignus, domino largiente suscepi; venerabili Papa domino **PASCHALI** manum imponente; cæteris vero Episcopis plurimis cooperantibus; Clero quoq; Romanæ Ecclesiæ, cuius magna pars ea die in eandem ciuitatem conuenerat, astante

stante & consentiente & quod nulli à Romano Pontifice consecrato nostris temporibus contigit, sine obligatione alicuius iuramenti consecratus sum. Huius loci, huius diei, huius gratiæ misericordiæ Dei semper memores esse debemus, vt vos memores esse velitis cum gratiarum actione, obnixè precamur; præcipue cum aliâ quam plures venerandæ personæ de magnis rebus ad Apostolicam sedem agentes infecto negotio redierunt. Valet.

COMMENDATIO DOMINI
Papa pro Ottone.



POSTOLICVS vero has commenda- IX.
cias literas Ecclesiæ scripsit, pro dilectione Ot-
tonis Episcopi.

PASCHALIS Episcopus, seruus seruorum Dei Clero &
populo Babenbergensi salutem & Apostolicam benedi-
ctionem.

Quantæ affectionis debitæ Babenbergensis Ecclesia ab
ipso suo constitutionis primordio, sedi Apostolicæ con-
stringatur, & si nos lateret, literarum vestrarum significa-
tio manifestat. Quod affectionis debitum, venerabilis fra-
ter OTTO, vestræ Ecclesiæ electus, non instanter tenuisse
actenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad A-
postolicæ sedis visitationem percurrat. Nos igitur eum de-
bitæ benignitatis affectione suscepimus, & iuxta vestræ
dilectionis desiderium, nostris tamquam Beati PETRI ma-
nibus, saluo Metropolitanæ iure vobis per Dei gratiam
Præsulem ordinauimus. Hunc igitur sub præsentium lite-
rerum prosecutione ad Ecclesiæ vestræ regimen remitten-
tes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate ve-
nerari.

nerari. Confidimus enim eum disciplinæ Ecclesiasticæ futurum esse custodem, & salutis vestræ sollicitum prouisorem. Huic ergo sedulis officijs obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœlestem. Integritatem Catholicæ fidei firmam semper in omnibus conseruate, sedi Apostolicæ semper deuotius adhærete, vt per eius consortium à contagijs omnibus liberi, ad æternæ salutis portum fœliciter peruenire, domino largiente, mereamur.

Cunctis ergo diebus, quocunque statu Ecclesiæ, Apostolicæ sedi constanter ac fideliter adhæsit OTTO Episcopus, adeo vt in illa dolenda excommunicatione Imperatoris Haintici iunioris, toto tempore schismatis, cum sacerdotio perstiterit canonicis, nō sine ingenuo quidem imperio pro conseruatione rerum * temporalibus fauentibus. Tali igitur ordine & honore in Episcopū consecratus multis virtutib⁹ enituit; sed vna in eo tanta claritate respendit, vt in morē solis, cætera sidera prænitentis, sua luce alias quodammodo minus redderet fulgentes. Dico autē beneficentiam, vel liberalitatē quæ in eo speciali quadā prærogatiua sic enituit, vt sine ambitione glorię inanis, gratiā consequeretur apud Deum & homines. Tanta enim in dando vltus est discretione vt numquam prodigus, semper autem liberalis inueniret. Immanes autē iacturas & sumptus infinitos parui pendebat, si aut * suæ, aut etiam augendæ ratio postularet. Equidem homo grauis, omnia facta sua certo iudicio ponderabat. Vnde si aliquando res maior & vtilior magna largitione acquirebatur, nequaquā manum cōtraxit. Causa igitur largitionis semper ei fuit aut vtilitas, aut necessitas, honestas, aut diuinæ remunerationis intuitus. Hinc autem super omnia intentus, omnium indigentium, vel qualibet calamitate oppressorum cōmune fuit cōsiliū. His tamen beneficentiæ modis plus afficiebatur, quorum memoriam posteris relinqueret.

leg. temporalium

*¶ Vt aas oris
Vrangia ratio
Hæc enim duo
monasteria a-
discant.*

DE

POST Dei autem honorem, quem in
cunctis factis suis glorificare iocundum habe-
bat, etiam Ecclesiæ cui præerat, gratiam & de-
corem cumulare satagebat. Vnde factum est,
quod in ipso introitu suo, cum eatenus quandam specialis
honorificentæ prærogatiuam Babenbergensis Ecclesiæ, v-
sum scilicet CRVCIS & PALLII, quater in anno haberet; ille
quando ex more, p accipiendâ Episcopali benedictione,
Romanæ matri venerandum caput offerebat, non quidem
ex ambitione, quod illa vehementer execrari solet, sed ex
gratuita ipsius matris benignitate, quæ dignos filios hono-
rare gaudet, eodem honore duplicato vsum PALLII & CRV-
cis quatuor alijs vicib⁹, eo quod idoneus & honore dignif-
simus videretur, ad omnes successores suos transmittendū,
à Beata memoria Papa PASCHALI percepit, in sacro die
Pentecostes, ab ipso in Episcopum, sancti spiritus cooperã-
te virtute consecratus. Ex eo igitur tempore operante in se
gratia eiusdem spiritus sancti tam in sæcularibus quam in
spiritualibus causis & negocijs, consilio viguit & prudẽtia,
ita vt dignitatem sibi augeret & gratiã apud omnes quidẽ,
sed apud illos specialius, quibus non magis præesse quam
prodesse incipiebat. Itaq; multa cura ei fuit, viam & institu-
ta nosse maiorum: & quidquid honoris vel emolumentum a-
licui ordini vel professioni vel etiam dignitati, debite vel
gratuito exhibere potuit, nunquam sponte prætermisit. Ac
omnium synodalium, & lögum prouincialium, vel synodaliũ
processus vel excessus tumẽ cognitos habebat, atq; ad de-
pendendum q; sentiebat, graui & grata & ornata dicẽdi facul-
tate comptus est, Vnde licet non Philosophicẽ, nec tã pro-
fundæ

X.

fundæ in literatura esset eruditionis, tamen in populari sermone, ad erudiendos in diuinis & Ecclesiasticis rebus homines, nihil eius eloquentia præstabilius, quam admiratione audientium, & ædificatione compunctorum, & peccata sua deplangentium sæpe constat probatam. Huic enim ab omnibus sui temporis Pontificibus in docendo populum naturali sermone principatus minimè negabatur; quia disertus & naturali pollens eloquio, vsu & frequentia in dicendo facilis erat, quid loco, quid tempori, quid personis competeret obseruans. Sed quia pluris est beneficere quàm benedicere, licet vtrobiq; valuerit, & vtrumq; rectoribus Ecclesiarum conueniat, tamen plerumq; contingit in altero aliquem esse propensorem. Vnde ad benefaciendum maluit esse procliuior, & in eam partem bonitatis, quæ de fonte rei familiaris emanat in proximos, quia copia sinebat, studium inflexit, multaq; in præsentem erogans, etiam posterorum, & absentium, vel nondum natorum oblitus non est. Hinc est quod illis rebus, quæ posteris etiam manere possent, maiores sumptus impendit, ut sunt, muri, pòtes, aquarum ductus, & quidquid ad multorum in longum posset durare commoditatem. Amen.

DE MONASTERIIS AB IP SO
fundatis.

II.
ep. Sux.
Vrangia.

T primitiæ quidem operum eius duorum fuit structura cœnobiorum in Episcopo HERIPOLENSI, quorum primum VRANGIA dicitur, sub patrocínio beati LAURENTII. Alterum VRA in honore beati PETRI Apostoli, his autem honesta & eleganti fabrica compositis sicut omnibus cœnobijs faciebat suis, prædia emere, siluas, & agros & præta com-

ra comparare, vel alijs iustis modis acquirere satagebat. Ipsa vero nominare, & enumerare vniuersa, ne longus aut fastidiosus fiam, omitto.

Deinde * Nilbbergenſi Episcopo tertia & quarta ædificatio duorum cœnobiorum fuit, quorum vnum * MICHILVELT dictum, in honore sancti IOANNIS Euangelista. Alterum LANCHEIN, in honore beatissimæ virginis Mariæ de ordine CISTER TIENSI. Nam ista tria fecit de ordine CLVNIACENSI. Et MICHILVELT & VRANGIA in patrimoniali fundo Ecclesiæ; LANCHEIN vero & VRAH in aduentitio locata sunt. Porro in Episcopatu RATISPONENSI sex monasteria construxit; quinq; de ordine CLVNIACENSI, quorum vnum ENSTOREF dictum in honore sancti Iacobi Apostoli.

Secundum est Priffling, sub patrocinio beati GEORGEII martyris: Vtraque autem in aduentitio fundo locata sunt. Sed ENSTOREF ab OTTONE Palatino Comite acceptum, magnificæ liberalitatis munificentia ditatum, ædificijs, ac prædiorum largitionibus decorauit ac prouexit. Priffling vero quomodo diuinæ reuelationis, & Angelicæ visionis occasione à fundo cœperit, ad notitiam posterorum scripto trāsmittere nō inutile credimus.

HEINRICVS proinde quintus HEINRICI quarti Imperatoris filius, æstiuo quodam tempore curiam Episcoporum ac Principum totius THEVTONICI regni frequentia celebrem RATISPONÆ celebrabat, cui venerandum OTTONEM, vtpote magnum consilio, & omnium primatum aspectibus gratiosum, quippe qui gratia & affabilitate, & vitæ etiam merito omnium sibi conciliabat fauorem, regia non patiebatur deesse vocatio. Sed pius OTTO, qui cum Psalmista dicere nouerat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam, si

leg. in Baber-
genſi.
* ap. Sur.
Michelen-
walt

Lansheim.

al Prunenim-
gen.

Psalm 54.

si quando locus dabatur & oportunitas, ne tumultu ac strepitu curialium, meditationis eius impediretur propositum, à curia se absentabat; vt solus soli DEO, quo liberius eo licentius vacaret.

Erat itaque in occidentali ciuitatis parte in vicinia villæ **Prüffling** dictæ à qua & monasterium pro * condignitate nomen contraxit; ager pascuus, arborum vmbra, & graminis viriditate admodum delectabilis, in quo venerandus præsul pro loci amœnitate, cum tentorium subrigi sibi fecisset, meridiano tempore fessa quieti membra dederat. Cum ecce in morem scalæ illius, in qua IACOB patriarcha angelos vidit descendentes, & ascendentes, à capite dormientis ad cœlum vsq; porrigi beato Pontifici visa est; & angeli in ea alternis vicibus descendentes & ascendentes.

Gen. 28.

Ille ergo excitatus, Capellanos reliquosque commilitones, sulcitos aduocat, & seriem visionis auide auscultantibus exponit.

Omnes itaque visionem à Deo esse considerantes, non somnum vanum; diuinæ reuelationis glorificant dignationem: & Episcopum, vt inibi obsequium DEO prouideat per visionem huiusmodi admonitum dicunt. O scelicem præfulem, omni laude & honore dignissimum, cuius quia in cœlis esset conuersatio, diuina reuelatio, & cœlestium ciuium visio declarauit.

Philip. 3.

Ipse proinde agri possessore requisito, agrum comparauit, & altare in eo vbi sponda steterat, & desuper Ecclesiam exstruxit, donec agrum conterminabilibus comparauit spaciosum locum monasterio, & cellæ constitutendæ conquisiuit. Talis itaque ei fuit occasio cœnobij BRYVINGENSIS à fundo exstruendi.

Tertium est cœnobium MVNSTER, quod cum adiacen-

adiacente Parochia, eiusdem nominis, auri & argenti precio ab HEINRICO duce BAVARIÆ & à DY-POLDO Marchione comparavit; & regali priuilegio LOTHARII in proprietatem VVABERGENSIS Ecclesiæ collatum suscepit. Quartum * VVIBVRCH. Quintum MALENSTORF. Sed VVIBVRCH sub patrocinio est beatę Dei genitricis; Illud autem in honore sancti IOANNIS Euangelistę; vtrumque autem fundi aduentitij. Sextum est VVINDEBERG de ordine NORTPERTINORVM, in honore beatę semper virginis Marię; & ipsum de fundo aduentitio. In Episcopatu HABERSTADENSI, vndecimum ei est, congregatio REGINSTORF de ordine CLVNIACENSI, sub patrocinio Ioannis Baptistę Abbaciam, VVIRTZENVRCH, quę nunc mutato loco & nomine REGINSTORF appellatur, cum omnibus pertinentijs ab HEINRICO Imperatore acceptis, priuilegijs VVABERGENSIS iadecit Ecclesię. Bona quoq; eiusdem cęnobij duplicauit. Nam cum prius non nisi sexaginta habuerit mansos, eundem numerum totidem additis ipse ampliare curauit.

In Episcopatu AISTETENSI duodecimum illi est, congregatio de ordine CISTERCIENSI HALSBRVNN dicta, sub patrocinio beatę Dei genitricis. Ipse autem finibus à venerabili OTTONE multa pecuniã comparatis magnis sumptibus in Abbaciã promotus est.

In Episcopatu PATAVIENSI decimum tertium cõgregatio ALDERBACH dicta. Et decimum quartum CLVNIACENSE sub patrocinio beati Andreę Apostoli iuxta fluuium ANISEN. Hanc à LYOPOLDO Marchione datam suscepit, & cuius promotione viginti mansos & quinquaginta marcas expendit.

X x z

Et

ap. Sur.
Diepoldo;

Clotarii in
proprietatem
Babenber-
genfis.
ap. Sur.
Biburg.
VVindel-
berg.

Sur. Halber-
stat.

S. Vicedach.

ap. Sur. AL-
rispach.

Et in Patriarchatu AQUILEIGENSI quintum decimum cenobium, in castro ARNOLDENSTEIN, destructa munitione construxit. Quadraginta vero & quinque annis hoc castrum cum nonaginta quinque mansis ad se pertinentibus Ecclesiæ BABERGENSI abalienatum fuit. Sed ipse multo labore & impensa recuperavit, & additis ei sexaginta mansis abbaciam esse fecit. Has quindecim congregationes operatilius & benignitas fœcūda semper propagavit. Quinque enim cellulas quasi totidem grana feminis seminare curavit, sciens, quod neq; qui rigat, nec qui plantat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Ex eisdem autem granis quidam iam surculi pullulant; poteruntq; Deo præstante incrementum, in arbores consurgere. Sunt autem hæc vna quæ dicitur *Aspach* in honore sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ, ipsum autem fundum & prædium eius Babergenensis Ecclesia multo tempore perdidit; sed ipse illud solerti cura requisitum, cellam fecit monachorum, eaq; in Abbaciam conualuit; prædiorum donatione copiosa ab ipso primum, deinde ab aliis fidelibus ditata. Secunda est in loco BABERGENSI in domate sancti Michaelis sita, sub patrocinio sanctæ FIDIS, virginis & Martyris. Primo hanc sanctimonialium esse voluit; sed altiori consilio septem monachis eam instituit, & cum omnibus pertinentijs suis sancto MICHAELI consignavit. Tertia est ROTHa, sub patrocinio sancti GEORGII martyris in Episcopio HERBIPOLENSI. Quarta est VERZERA in eodem Episcopio, in honore sanctæ Dei genitricis MARIÆ de ordine NORPERTINORVM. Sed alterius fœcunditas, alteri fecit sterilitatem: Rotha enim in sua permanens sterilitate, proficenti Verzerâ tamquam meliori ad seruiendum subdita est. Hoc tamen sciendum quod Episcopus Rotham ab AGNETE Palatina & eius so-

rore

2. Cor. 3.

ap. Sur.
VVeßera.

rore *Adelheyde*, cum sexaginta mansis *Ecclesiæ Babergenſi* donatum suscepit; circumiacentia vero *Ecclesiæ cellæ* emit bona ducentis septuaginta quinque; marcis, cum ministerialibus, scilicet agris, siluis, & pratis, pascuis, ac molendinis, & cum utilitate ac iure, quo *CHVNO* dux idem prædium noscitur habuisse. *VEZZERA* autem *GOTEBOLDVS* Comes ædificare inchoauerat, quam *Episcopus* ab eo sibi datam suscipiens suis eam promouit impensis. Quinta ei cella fuit in *Episcopio Herbipolensi*, *Tuckelshausen* in pago *Tulleneſt*. Atque si quod verum est, fateri liceat, sextam illi *Tuckelshausen* in eodem *Episcopio* annumerare debemus. huius enim structores, dum eius promotioni minus sufficerent, scientes *Episcopum* talium rerum studiosissimum, ut eius opitulatione locus promoueretur, ipsius hunc titulo ascripserunt, atque; ut eum *Babergenſi Ecclesiæ* omni iure firmarent coram idoneis testibus promiserunt. Hac igitur conditione multa eidem loco impendit. Hæc de cellis & monasterijs eius dicta sufficiant.

Tuckelshausen
postea *Cartusiense* monasterium.

*QV*ID RESPONDERIT *QVÆ-*
rentibus ab eo causas, tot ab eo monaste-
riorum constructorum.

NOVISITVS autem familiariter à suis, XII.
quare tot & tanta in sumptus *Ecclesiarum Christi* tam diligenter expenderet. Parabolam illam *Euangelicam* de *Samaritano* & homine à latronibus cæso, & stabulo & stabulario ad reddendam *Luc. 10.* rationem causæ suæ humiliter inferebat, *Mundus*, inquit, iste totus exilium est, & quamdiu viuimus in hoc mundo, peregrinamur à domino; unde *stabulis* egemus *2 Cor. 5.*

Xx 3 atq;

atq; diuersorij. Stabula vero & diuersoria, cellas dicebat
& monasteria; & ea non indigenis, sed peregrinis seculi
esse oportuna. Quid multa, inquit, vel nimia esse, vel fieri
queruntur diuersoria, non semper in peregrinatione posi-
tos se putant, sed in patria. Quod si à latrunculis occupati
fuerint, si spoliati, cæsi, atq; plagati fuerint, & ita semiui-
ui relictī, certe vel inuiti experientur, quam melius est, iux-
ta esse stabulum quàm procul. Cum enim repentinus su-
peruenit inreritus, & dolor sicut in vtero habentis; ita vt
euadere nō possint, quomodo illuc leuari poterunt, si pro-
cul est? Et si tales multi in locis multis, nonne melius est sta-
bula multa esse quam pauca? Si enim pauca fuerint, quo-
modo multis peregrinis, multis sufficiēt ægrotis? Præterea
inquit, nouissima hora est, & mundus in maligno positus
est; sed propter eos, qui ab illo fugere ac saluari cupiunt,
quia homines multiplicati sunt super terram, & cœno-
bia multiplicari absurdum non est. Ab initio sæculi cum
pauci essent homines, necessaria erat propagatio ho-
minum, & ideo non continebant; tempus est; continere
debent homines, quicunq; possunt, atq; vacare Deo. Con-
tinentia vero & alia sanctitatis opera in cœnobijs melius
quàm extra obseruari potest. Hæc mihi causa, inquit, fu-
it, hæc intentio multiplicandi cœnobia. Et vt aliquid se-
cundum hominem loquar, dum proficiunt ac succrescunt
cœnobia studijs & oblationibus fidelium, sicut in plerisq;
locis videmus, quia tribuente Deo, promptuarīa eorum
plena, eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtosæ, abun-
dantes in egressibus suis, boues eorum crassæ; ipsorumq;
prouidente solertia, non est ruina macerīæ, neq; transitus
inutilis in satis eorum & pratis; possunt nonnunquam ho-
nori atq; vtilitati esse suis Episcopis. si vero tenues sunt &
pauperes, habent successores mei, apud quos oportune
collocent

8 Ionni: 5^o

8 salm: 145^o

collocent elemosynas suas, & occasionem inueniunt benefaciendi honestam, si meos surculos irrigando suas arbores faciunt, sicut & ego aliorum meas feci aliquas. Et facilius quidem inchoata promouere, quam ea, quæ nulla sunt, inchoare. Initia enim rerum difficilia sunt. Vnde si qui ad inchoandum talia tardi fuerint & timidi, vel meis inijs, meisq; fundamentis in nomine domini superædificare accingantur. Tales suorum operum ille rationes reddere dedignatus non est; hoc sine concludens omnia, vt in omnibus honorificetur Deus, & proximus adiuuetur. Nec eum utiq; spes fefellit, multa enim bona ex eius studijs in Ecclesia prouenere, atq; proueniunt quotidie. Quid enim putamus in tot cellis & cœnobijs Deo seruitij & honoris, quid proximo solatij exhibetur & utilitatis? Signa illic & portenta per eum & per eius opera fiunt quotidie; & si non corporaliter, profecto quod melius est, fiunt spiritualiter. Ibi enim cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. His enim malis & incommodis circumuenti homines peccatores de sæculo ad meliorem vitam secundum animam in cœnobijs conualescunt. Ibi lectiones sacræ, Psalmodia & orationes, missæ, atq; diuinarum rerum contemplationes & cordis elemosynarum largitiones & hospitalitates. Quis negat ex magna parte meritis eius hæc omnia posse ascribi? cuius labore & impensa ipsa cœnobia contigit fundari. Considerans autem quod ipsorum cœnobiolorum suorum structura robustius consisteret, si eam Apostolicæ auctoritatis petra solidaret, nec facile conuelli posse, si vallata esset munimine Petri, sub eius defensione omnia constituens,

Matth. 16

à sede Apostolica huiusmodi scripta

suscepit,

3

PRIVL-

PRIVILEGIUM CA-
LIX TI.

XIII.



ALixtus Episcopus seruus seruorum
 Dei venerabili fratri OTTONI BABER-
 GENSI Episcopo salutem & Apostolicam
 benedictionem.

Benis fratrum nostrorum studijs, non solum fauere, sed
 ad ea ipsorum etiam debemus animos incitare. Tuis ergo
 charissime & venerabilis frater OTTO Babergensis Epi-
 scope supplicationibus inclinati, monasteria, quę ipsi pro-
 prijs sumptibus extruxisti, & Babergensi Ecclesię confe-
 rēs Apostolicę sedis roborari in minime quęsiuisti, in bea-
 ti Petri eiusq; Romanę Ecclesię protectione suscipimus,
 contra prauorum hominum nequiciam, defensanda. Sta-
 tuimus ergo, vt possessiones, prædia & bona omnia, quę &
 fraternitas tua eisdem monasterijs diuini amoris intuitu
 contulit, quęque aliorum fidelium iusta oblatione con-
 cessa sunt, aut in futurum iustę, legaliteruē acquiri vel of-
 ferri contigerit, firma eis & illibata domino auctore per-
 maneant. Ordinationes sane Abbatum vel monachorum
 suorum à Catholicis Episcopis diœcesanis accipiant. Re-
 rum vero ipsorum monasteriorum curam & administra-
 tionem in tuo tuorumq; successorum arbitrio & potesta-
 te manere censemus. Nulli itaque hominum facultas sit
 eadem monasteria perturbare, aut eorum possessiones
 auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs fa-
 tigationibus vexare; sed omnia integra conseruentur
 eorum, per quorum sustentationem & gubernationem
 concessa sunt vsibus commodis profutura. Si qua igitur
 Ecclesiastica, secularisue persona, hanc nostrę constitu-
 tionis paginam sciens, contra eam temere venire tempta-
 uerit,

nerit, secundo, tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisq; sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris Iesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat.

Cunctis autem eisdem monasterijs iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem, præmia æternæ pacis inueniant.

Scripta per manum GERVASII SCRINIARII regionarij & notarij sacri palatij.

Sed sicut in rebus temporalibus perpetuam securitatem, & immunitatē, suis cœnobijs, per Apostolicam auctoritatem providere studuit, ita in religione & disciplina spirituali stabilitatem atq; immutabilitatem monastici Ordinis eiusdem sacræ sedis auctoritate corroborauit, sicut in priuilegio quod à domino INNOCENTIO Papa accepit, perspicuè considerari potest.

ITEM PRIVILEGIUM

Innocentii Papa.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum DEI, Venerabili fratri OTTONI BABERGENSI Episcopo, eiusq; successoribus canonicè substituendis salutem & Apostolicam benedictionem.

XIII.

Quotiens à nobis petitur illud, quod religioni & honestati conuenire cognoscitur, animo nos deest libenti concedere, & congruum impartiri suffragium, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Proinde venerabilis frater OTTO Episcopo, petitionis desiderijs tuæ ex cōsue-

Yy

ta se-

ta sedis Apostolicæ mansuetudine clementer annuimus; in primis siquidem statuentes, vt tenor religionis, qui in Ecclesijs tibi commissus est, per tuam diligentiam, cooperante domino, institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conseruetur. Constituimus etiam, vt in eisdem Ecclesijs nullus per simoniacam hæresim statuatur, sed honestæ personæ, quibus utiq; morum & status dignitas suffragatur, inibi ordinetur. Sanè in cœnobijs, quæ vel antiquitus in tua parochia constructa sunt, vel tu ipse deuotionis intuitu constituisti, seu alijs iustis modis Ecclesiæ tuæ inire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diœcesim diuina inspirate gratia, cõstruentur, sacrę religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat eiusdem institutionis formam vllatenus permutare; nisi fortè ad melioris status prærogatiuam, præstante domino, promouere voluerit; nec id alicuius singulari iudicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babergensem Ecclesiam pertinentium, aut sanioris partis consilio ac consensu fieri debere sancimus. Si quis autè huic nostrę constitutioni temere contraire temptauerit, secundo, tertioque commonitus, si nõ factum suum digna satisfactione correxerit, à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Dn. redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atq; in extremo examine districtæ subiaceat vltioni. Conseruantes eisdem locis, quæ iusta sunt; omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostram gratiam consequantur.

His ita se habentibus manifeste vides beatum OTTONEM satis, quantum in se fuit prouidisse, vt in omnibus cœnobijs suis ordo ac tenor religionis sacrę, qui per eius diligentiam, cooperante domino institutus est, firmiter perpetuis temporibus conseruetur. Aperte enim sancitum est ab auctoritate Romana, vt in eisdem eius cœnobijs

nobijs sanctę institutionis forma nullatenus alicui mortali-
um liceat permutare; nisi fortę ad melioris status pręro-
gatiuam pręstante domino, voluerit promouere-

**QVO MODO MONASTERI-
um Cathedralis Ecclesie ad vsum
restaurauerit & orna-
uerit.**

IN diebus ipsius semper honorandę me- **XV.**
morie OTTONIS, Cathedralis Ecclesie mo-
nasterium, quod sub antecessore suo domino
permittente, vsque ad solos muros superstites
conflagratum erat incendio, multis sumptibus ab eo ad
pristini decoris nobilitatem reparatum est. Ipse pauimē-
tum strauit, columnas Ecclesie, quas ignis affrauerat ope-
re gipseo & firmavit & ornauit, Chorum sancti GEORGII
exaltauit, picturas quoq; non ignobiliores prioribus effe-
cit; & ne ultra similes formidare debeat euentus, totū mo-
nasterium & turres cupreis tabulis contextit, sphaeras quo-
que & CRUCES turrium deaurauit, omnia deniq; ædificia
claustrī per officinas singulas renouare, & in meliorem
statum promouere curauit. Quantum vero eidem Eccle-
sie bonorum & prędiorum, pręter ea quę à fundatoris li-
beralitate ipse pridem habuerat, benignitate ipse superad-
diderit, in redditibus & oblationibus quotidianis canoni-
cę prębendę considerari potest. Ecclesiam quoque san-
cti MICHAELIS cum terrę motu soluta, ruinam sui mi-
nari videretur, à fundamento destruxit, & ingenti sum-
ptu ac pecunia maioris & elegantis fabrefactę mona-
sterium in laudem & gloriam DEI & militię cęlestis
erexit.

erexit. Stipendia quoq; fratrum talentis plusquam nonaginta redituū per singulos annos cumulauit. Multa quoq; ornamenta eidem loco contulit, ipsumq; vsq; ad nouissimam tubam & vocem filij Dei locum habitationis suo venerando corpori elegit. Multa hic studio breuitatis prætereo, quæ huic & alijs cœnobijs & Ecclesijs suis ab iplo collata sunt, in pallijs, stolis & casulis, in calicibus aureis & argenteis, in thuribulis & acerris, in candelabris & varijs Ecclesiarum utensilibus, in cortinis, aulæis, & tapetibus, in libris vtriusq; testamenti, & varijs codicibus, quorum omnium tam ingens copia est, v t numerus æstimationem videatur excedere; mirumq; ab vno Episcopo tot locis tanta potuisse conferri. Sed hæc omnia de fonte rei familiaris hauriens, Deo subministrante abundantia, ipsum nō exhaust; quia, sicut fateri consuevit, quanto magis in opera Dei erogabat, tanto magis quod erogabat habebat. Nā licet totus in Deo fuerit, & omnia sua in cœlestes thesauros præmittere festinaret, ipse tamen vtpote prudens & potens Deo, quæ Dei erant reddidit, & mundo quod suum erat non negauit. Regibus quippe sæculi regni, pontifices honorificando, fideliter domi forisq; seruiuit: principum quoq; sibi familiaritates & amicitias intimas conciliavit: ministerialibus & scodatis Ecclesiæ propria iura & honorem intemeratum conseruauit, familiam deniq;, & omnia sibi adhærentia firmissimo pietatis præsidio, & maternæ affectionis ala confouendo protexit; stipendia Episcopalis mensæ nullius vnquam necessitatis occasione minorauit; sed quod de parsimoniali fundo Ecclesiæ matricis propter adiacentiam & oportunitatem cœnobijs contulit, empticijs & aduentitijs prædijs recompensare cum augmento ei curauit; quia de iniusto non posse fieri dicebat elemosynam. Iniustum autem, imo iniuriam maximam esse

esse affirmabat, aliqua largitione aut feudatione, sine recompensatione, tabulam minuere successorum. Ad hanc ergo excludendam suspicionem, & ne cuiquam succedentium sibi Episcoporum fas sit dispositioni eius quidquam superordinare, vel ab ipso bene ordinata rescindere, sedes apostolica, eius postulatione, super his omnibus huiusmodi ei confirmationis priuilegium postulauit.

PRIVILEGIUM CALIXTI

Pape.



CALIXTUS Episcopus seruus seruorum XVI

Dei, venerabili fratri Ottoni Babergensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Sanctorum Patrum præceptis & Canonicis sanctionibus demonstratur, quod prædia & possessiones Ecclesiarum, quæ vota fidelium, præcia peccatorum & pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim diuinæ maiestatis obsequio, & celestium secretorum usui sūt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius seruitij formam transmutari. Nempe vt beati SYMMACHI Papæ verbis loquamur: Possessiones quas vnusquisque Ecclesiæ propriè dedit, aut reliquit, arbitrio alienari quibuslibet titulis aut distractionibus, vel sub quocunque argumento non patimur. Ea propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, mansos qui Episcopalis mensæ tuæ seruitio dediti sunt in eodem statu, in quo benè à te dispositi cognoscuntur futuris temporibus permanere præsentis scripti nostri confirmatione sancimus; statuentes, vt nulli successorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, siue in laicorum beneficium tradere, vel in vsus ali-

Yy 3

os com-

os commutare. Sed sicut à te dispositum est, de vnoquoq; prædictorum mansorum denarius vnus annuis singulis BERGENSI pro anima Imperatoris HEINRICI fundatoris eius ad concinnanda luminaria conferatur. Abbacias vero & REGVLARES CANONICAS, per industriam tuam in religionis ordine stabilitas, & alia à te recta constituta, nulli hominum facultas sit in posterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario ausu præsumpserit, excommunicationis vinculo subiacebit. Data Laterani. Idibus Aprilis, Indictione secunda.

QUANTVM EPISCOPIO
contulerit in adificijs &c.

XVII.

REM quoque familiarem Episcopii, sicut prædijs & possessionibus, ita etiam ædificijs & castrorum munitioibus adiuit atque sublimauit. Nam per diuersa loca & curtes Episcopij, quatuordecim basilicas & quatuor canacula elegantis fabricæ construxit. Præterea sex Castella, quæ pridem non habuit, dominio Episcopatus adiecit, * com-
mi videlicet **Albunestein**. Secundum **Lupoldenstem**. Tertium **Gönleneid**. Quartum **Hemphenveld**. Quintum **Ebersperlach**. Sextum **Eskenveld**. Castrum vero **Albunestein** / quod etiam dicitur **Bortenstein** / fere in medietullo situm Episcopatus, octingentis argenti libris, nec non XVII. auri talentis comparauit. Prouidens in hoc sibi & posteris non modicum pacis subsidium; quia bonis Ecclesiæ in circuitu positus defensio est, & terror inimicis. Multa quidem commemorare possem, quæ illius studio ac labore in rebus temporalibus Episcopatui accessere; sed

lego castrum

sed parcius hæc laudanda puto ; quia pænẽ omne genu^s hominum acquirendi studiosum est, & sua cumulandi, neque ut id faciant, egent exemplo ; sed ne male id faciant. Hic ergo non in eo quidem magno opere laudandus, quod rem familiarem quærere aut augere sollicitus fuit, sed hoc in eo non temere laudatur, quod his rebus à quibus *Hic videtur a liquid deesse.* abesset turpitudine & auariciæ suspicio . . . , diligentia videlicet & frugalis parsimonia.

DE FRUGALITATE
Ottonis Episcopi.

NON in veste, non in cibis, rebus Episcopi XVIII. *XVIII.*
scopij vnquam indulgentius uti voluit ; nec voluptati, sed necessitati suæ tantum providebat. Quin etiam, aiunt, illum humilitatis causa ocreas vel * supulares dissolutos, plerumq; ad sartorem *f. subalaves* misisse. Murmurantibus autem de hoc aliquibus, Sinite, inquit, fratres sinite. res Episcopij, eleemosynæ sunt fidelium ; vanis vsibus eas profigare non debemus. Nec in vestitu ei frugalitas defuit. Ac in victu quomodo se restrinxerit, vix vlli credibile videbitur. Nam dixisse hunc pro certo accepimus, nunquam se ad facietatem panem in Episcopatu comedisse. Semper enim sobrius ac pænè ieiunus de cæna vel prandio surrexit ; apposita omnia infirmis, pauperibus ac mendicis imperciens. Quodam ieiunij tempore multa penuria piscium fuit, sed quidam procurator eius * luceum parvæ quantitatis emptum duobus solidis, prandenti attulit bene paratum, modeste *λυκον lupum seu callionymum Athenæo intelligit Hôcht.* obsecrans, ut se vberius reficeret vel cibo, qui tam *ma.*

magno precio constabat. Cui Episcopus, Quanto ? inquit. Procurator, duobus, ait, solidis. Et Episcopus, absit vt miser OTTO solus hodie tot denarios absumat, leuansque * Astum, Defer, ait, hunc preciosum cibum Christo meo qui mihi me ipso preciosior esse debet; Defer, inquam, ei, sicubi ægrotus in lecto iaceat, vel paralyticus. Nam ego robustus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia sua delitijs affluet. Præterea in consuetudine habuit, à manibus sacerdotum, in conclauis, corporales accipere disciplinas, sane adeo acres, vt cruor aliquando latera eius vngeret. Ipse quoque pater celestis, qui ait: Ego quos amo arguo & castigo, suo interdum verberare, ad eruditionem eum tangebatur.

DE AEGROTATIONE EPISCOPI.

XIX.

ap. sur. Buche-
lb. ch.

REFERAM vnum de flagellis eius, causamque siue ordinem monstrabo, quidè inde boni prouenerit. Dum forte in vico, qui dicitur Buchelbach diuinarum rerum studiosus CHARTVLAM PATROCINIORVM legisset, & in ara Ecclesiolæ multas & permaximas sanctorum reliquias reconditas cognosceret, ad nobiliora loca eas transferre cogitabat, vbi ampliori honore diuinæ seruitutis ac religionis colerentur. Itaque assumptis clericorum, ieiunio & oratione præmissa, pia, vt dictum est, intentione, sigillum altaris solui præcepit, sed hæsitantibus cunctis ac trepidantibus, ipse ferramentum corripiciens, Absit, inquit, vt tantum decus sub tam vili * stemmate remaneat. Cumq; bis aut ter sigillum malleo percuteret, sanguis de scistula plumbi

* regmine.

plumbi cucurrit, ac si de corpore animalis fuisset, Sed quid? Turbatur, Episcopus, ferramentum proijcit, stupent omnes, opus cœptum omittitur, ad orationem tam ipse, quam omnes qui aderant se prosternunt, commissi veniam postulant. Sed pater omnipotens, sapiens & benignus, qui ad disciplinam filium erudire parabat, graui statim languore tetigit OTTONEM suum, adeo, ut vitæ terminum putaret. Igitur inualecente morbo cū euadere nō speraret, eum quem maximè fidū ac familiarem habuit Abbatem sancti Michaëlis VOLFRAMVM vocauit, ut siue ad vitā siue ad mortē res vergeret, fide & obsequio fidelis amici vteretur, qui dū eius lectulo assisteret, cuiusq; dolores quibus poterat consolationibus releuare curaret, OTTO beatus, monasticæ religionis præcipuus semper amator, habitum monachicum ardentissimè flagitabat; à multis annis se dicens in proposito habuisse depositis pontificalibus in paupertate spiritus & cōtritione cordis Deo seruire sub magistri obedientia. Verum Abbas vir gnarus ac prudens, & magni consilii, obedientiam quidem promittens, suscepit desiderium laudans, ac petitionem: porro de habitu distulit ingeniose. Hinc post aliquot dies, melioratur ægrotus, voti memor, habitum quærit religionis; disponit de rebus suis; ad monasterium se portari iubet. Abbas igitur lætus de seruore votiui sui, adhibitis sui nominis compluribus honestis viris, de hoc verbo cum eis communicat. At hi quidem perspectis omnibus, inutile factum dicunt personam talem Ecclesiæ & pauperibus Christi tam necessariam, ad silentium monasterij transire. Itaque cum reuerentia Episcopum interrogat; si promissam sibi obedientiam implere vellet. Ille vero, in eius inquit, nomine qui pro nobis DEO patri

tri vsque ad mortem obediuit, tibi obedire paratus sum. Cui ille, *Etego*, inquit, in nomine ipsius tibi iubeo, pater sanctissime, sub honore accepti regiminis vsque ad diem vocationis tuæ permanere, & honorem & vtilitatem Ecclesie, ad consolationem egenorum & pauperum, in subleuatione viduarum & orphanorum facere, sicut facis, ad consumanda cœpta tua in operibus tuis bonis; &, vt breuius dicam, facere quod facis, operari quod operaris pro æterna vita & centuplo. Quis enim monachorum tantæ perfectionis est, vt eius merita vel paupertatem tuis diuitijs adæquemus? Igitur post hæc tempora Episcopatus Babergensis totus in eleemosynas, totus in hospitalitates pauperum & peregrinorum versus est. Quidquid frumentorum aut victualium, quidquid auri vel argenti vsquã vel vnquam inueniri potuit, per egentium manus in thesauros cœli transmissum est.

QVID EGERT FAMIS

tempore.

XX.

O tempore orientalis FRANCIA sterilitate annorum magna panis inopia laborabat. Ipsi namque opulentiores fame & necessitate squalebant; Inopes autem & mendici passim per plateas & agros mortui iacebant, ita vt præ multitudine in cœmeterijs humari non possent. Sed vir DEI misericordia plenus, memor TOBIÆ, modo per se, modo per alios sepeliendo officium compleuit: Vbi autem cadaverum multitudo sepulturam ordinatam fieri non sinebat, ingentes fossas præparauit, & centenos & milles

nos

nos simul quandoque terræ mandabat, precio condu-
cens homines, qui talibus officijs, iugiter inseruirent.
Ipsæ autem per se omnia lustrabat, vicos, plateas, ac do-
mos pupillorum, vespere, mane & meridie, nec non
etiam nocturno tempore visitando aegrotos, reficien-
do famelicos, omnique ingenio benè operandi vias in-
quirebat.

Accidit ergo die quadam æstu meridiano, quando in
vmbaculis & refrigerarijs suis soporantur homines, *Epi-*
scopus accito cubiculario, more suo, ad hospitale pau-
perum pergebat. Dum autem iret, fœtor inhumati cor-
poris non procul à via desub vicis nares eius tetigit.
Substitit ergo & cubiculario suo digito locum demon-
strans, Sentio, ait, tanquam illic corpus humanum ia-
ceat. Pergente puero sequitur *Episcopus*, diligenter
quærent, ac tandem inter herbas & siluam stantis vr-
ticæ proiectum ad sepem cadauer inueniunt mulieris,
lacero vultu, & ab aibus comesto.

Episcopus autem, conspecta miseria, ferit pectus,
sortem deslet humanam, flagellum diuini confitetur
iudicij. Postremo seipsum culpabilem, se reum addicit,
qui eadie qua hæc fame periisset, multis panibus abun-
daret.

Dehinc dicta breuiter oratione pro anima iacen-
tis, manum mittit ad corpus, cubicularium hortatur le-
uare secum. At ille, Noli, ait, Domine, noli sacras ma-
nus tuas inquinare. Curram & vocabo alios, ac sepeliem
eam. Cui *Episcopus*, Absit, inquit, vt sororem meam si-
liam Adæ, immo filiam Ecclesie tangere despiciam. Por-
tabo mortuam, quam viuâ pauisse debueram. Sed tu rogo
iuua me; certus q̄ à Deo & à me quoq; mercedē accipies.

Z z z

Ille

Ille autem, & si horrore, & fœtore pariter propelli potuisset, tamen dum luctantem & laborantem, ipsiq; horrore humerum iam aptantem videt, vicit semetipsum, & clausis naribus, auersoq; vultu dorsum inuitè subiecit sarcinæ, & cum Episcopo cõmunicato labore ad cœmeteriũ cadauer fœtidum deportant cantante ac stente sacerdote, Heu me domine. Videns ergo, quia tempus eum non monet, omnes apothecas suas aperuit, panes præparat, alit egentes, & ecce quasi ad vniuersales ordines nundinarum de tota provincia famelicorum turbæ concurrunt, de monasteriis virorum ac fœminarum præpositi ac dispensatores, omnesq; quos annorum egestas premebat, ad promptuaria Episcopi currebant, sperata subsidia sine mora inuenientes. Cumq; messis appropinquaret, & maturæ segetes vbique locorum falcem postularent, multa millia falcium pauperibus, quos toto anno aluerat, præparata distribui fecit, atq; refectionis omnibus, in festiuitate sancti IACOBI: *Ecce, inquit pater optimus, filioli mei; terra coram vobis est, finita est dierũ malitia. Et accipiens singulas falces singulos addidit denarios, vnicuiq; denarium & falcem, instrumentum operis & viaticum, sicq; valefecit eis, & bonitate & gaudio eos dimisit. Iis modis id officium ei fuit omnibus annis inopia ac sterilitatis. His aliisq; operibus misericordiæ, maximam sibi fiduciam apud Deum altissimum conquirebat, & temporalibus expensis in cœlis sibi thesaurifans, disperfit de dit pauperibus, vt iustitia eius maneat in sæculum sæculi.*

Psalm. 112.

P R Æ F A T I O L I B R I
sequentis.



AM tempus est, vt in memoriam æternam beati Ottonis Pontificis peregrinationem, & laborem eius stilo fideli prosequamur, qualiter

ter Apostolica autoritate beati HONORII Papę POMMERA-
 NICę genti Apostolus destinatus, prædicauerit, baptizauit, & ministerium suum fideliter adimplendo opus Euan-
 gelistę fecerit, in quo reuera simile illud fecit dominus ^{2. Tim. 4:}
 glorię sanctorum, quam magnificę adeptus est in conuer-
 satione gentis illius, in cuius pœnitentiam diuinitus est di-
 rectus. Magna quidem sunt merita ipsius, quę secundum
 dilectionem proximi in operibus bonis, & eleemosynis,
 membris Christi exhibuit, magnę & indeficientes misera-
 tiones eius, quas fecit in domo Dei sui, & in cęremonijs ei-
 us; sed oleum diuinę charitatis in ipso abunde effusum
 virtutibus eius supereminet vniuersis. Venit enim non
 solū reducere oues perditas, & conuertere ad pastore & E-
 piscopū animarum suarum, sed etiam animam suā ponere
 pro testamento Dei ardentissimo desiderio amplectens
 contumelias, plagas, & persecutiones expectans, etiam
 vincula & carceres, & ipsam mortem pro nomine domini
 Iesu fœlici constantia relictis omnibus sustinere. Credim⁹
 repositam ergo illi coronam iusticię in illum diem regene-
 rationis, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę
 quando veniens in exultatione cum Apostolis, doctoribus
 & Euangelistis, tamquam fidelis operator dominicę mes-
 sis, plures adducet manipulos à principe pastorum perce-
 pturus duplicem stolam iocunditatis & immarcessibilem
 glorię coronam. Nunc ergo quibus de causis, quibus au-
 ctoribus, quo ordine & tempore conuersionem Pomme-
 ranicę gentis sit aggressus exequamur, de situ &
 qualitate ipsius terrę, de reditu
 gentis pauca præmit-
 tentes.

§

Zz 3

DE

DESCRIPTIO POMMERANIA,
 & quare sic dicta sit.

POMMERANIA provincia ex ipsa nominis etymologia, qualitatem sui nominis & situs indicare videtur. Nam Pommo lingua **SCLAVORVM**, iuxta, sonat, vel circa; moris, ante mare. Inde quasi **POMMORIZANIA**, id est iuxta vel circa mare posita. Est autem terra hæc, si totam eius positionem tam in stagnis & refusionibus marinis, quam in locis campestribus considerare velimus, quasi signatur triangula, quia tribus lateribus, quasi tribus lineis per capita sibi coherentibus tres angulos habere deprehenditur, ita tamen, ut vnus angulus duobus reliquis sit extensior, qui etiam quasi ad **LEVITIAM** & prope **SAXONIAM**, versus **Aquislonem** ad fluctus Oceani paulatim recuruatus demittit. Itaque **POMMORANIA** post se in Oceano **DACIAM** habet, & regiam insulam parvam, sed populosam, super se autem idem ad dexteram septentrionis **FLAVIAM** habet & **PRVSCIAM**, & **RVSCIAM**. Ante se vero, id est versus aridam parua extremitate se attingentes fines respicit **VNGARIÆ** ac **MORAVIÆ**. Deinde **POLONIAM** spaciofa contiguitate vsq; ad confinia **LEVITIÆ** & **SAXONIÆ** se habet, attingendo extendentem. Gens ista terra marique bellare perita, spolijs & raptu viuere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita, & à cultu & fide Christiana penitus aliena. Terra vero ipsa, piscium & ferarum copiosam incolis præbet abundantiam, omnigenumque frumentorum & leguminum siue seminum fertilissima est; nulla mellis feracior, nulla pascuis & gramine fecundior. Vinum autem nec habent nec quærunt, sed melleis poculis & ceruisia curatissime confectâ vina superiõe
 falce-

falernica. Sed de his aliàs. Nunc autem expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet, hi homines tam procul ab oriètali FRANCIA, & à BABERGENSI Ecclesia, immo à toto pene orbe diuisi non alium quemquam de vicinioribus regnis, vel Ecclesijs baptistam & prædicatorem, quam Babergensem Episcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis eius illi à Deo donatus est.

INCIPIT LIBER II.

QVÆ CAUSA SIT POMMERANORVM CONVERTENDORVM.

TEMPORE quo dominus Episcopus Babergensem regebat Ecclesiam, POLIZLAUS vir strenuus & prudens & ingenuus atq; auitæ nobilitatis decore illustris Ducatum POLONIÆ administrabat. Qui dum se gnauiter ac prouide gereret, omnes terræ suæ terminos sub prædecessoribus suis hostium violentia inuafos & perturbatos, & castra, vrbesq; à sua potestate vi alienatas manu robusta recuperare præualuit. Cumq; bellicos actus suos scælici exitu sæpe prosperari videret, erga Deum quidem à quo sibi sciebat præstari victoriã, humilior atq; deuotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro & ignis attemptare, prædasq; & manubias frequenter abstrahere, & personas captiuare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore contracti multis obsequijs & dono-

I.

*Infra Ritheni
vocalunt.*

& donorum impensis, animum eius delinirent, datisque & acceptis dextris fidem pacis firmissimè pangerent & pacta reciperent. Erant autem diuersi cum quibus diuersis temporibus certamen habebatur ex parte vna **POLONIÆ, BOHEMI, VNGARI, MORAVII**, ex alia **RITHENI**, gens crudelis & aspera, qui **FLAVORVM PRVSORVM** & **POMERANORVM** freti auxilijs acrius, diutiusq; illi restiterunt; sed frustra; qui tandem superati ab eo & contriti post multas clades pacem ab eo postulare cum rege suo decreuerunt. At ille, vt erat bellis ac laboribus semper infractus non continuo de pace acquiescere voluit, nisi prius aliqua memorabili honorificentia satisfactionem accepisset.

DE EODEM.

II.

REX vero & omnes principes, **RITHENORVM** sine amicitia & pace Ducis, non se quietos fore perpendentes, viam inueniendæ mutæ pacis & gratiæ illius prudentiæ ac fidei committendam præsumserunt. Ille vero hanc honestissimam ratus viam statuendæ ac firmandæ pacis, filiam ipsius regis petiuit & accepit vxorē, videlicet, vt hoc affinitatis commercio, tam principes ipsi, quàm subditi eius terræ vtriusq; populi pacem ad inuicem, haberent perpetuam, atque in necessitatibus & oportunitatibus suis mutuo contra hostes sibi præsidio forent atq; auxilia portarent. Colebant ergo se mutuis beneficijs socer & gener; magnificatusq; est **POLIZ LAVS** & confortatus ac prosperatus vndiq; est. Nec vlla ei erat contradictio vniuersis potestatis suæ terminis hoste nullo turbatis. Verum ea perfunctoria & brevis tranquillitas. Nam post paucos annos **RVTENISSA** vxor **POLIZLAI** moritur, vnum tantum ei filium relinquens. Vnde qua-

de qua-

de quasi rupto vinculo, quo tota intergenerum & foecerum constabat amicitia, dudum consopita bella paulatim recrudescunt. **POLITZLAUS** igitur feritate gentis permotus, cum suis consilium habuit, quo nam rediuiua mala hæc propulsare potuisset. Habebat autem **PETRV** M quendam militię ductorem, virum acris ingenij, & fortem robore, de quo dubium, vtrum in armis an in consilijs maior fuerit, qui erat Præfectus à Duce super viros bellatores. Hic ascitus consilijs, si suis tantum, inquit, **RVTENI** viribus dimicarent, illos nobis conteri non esset laboriosum; sed habent **FLAVOS**, habet **PRVSCOS**, habent etiam **POMMERANOS** gentem idolatram inuisam ac minus indomitam, quos omnes simul in arma prouocare, quam durum sit, inexperti non sumus; quamuis ante de his triumphos habuerimus. Quo circa meo animo consilium incidit **RVTENOS** arte melius superari. Et ne quis impossibile hoc existimet, ecce vadam ad illos, & incruentam nobis de tyranno victoriam reportabo, Deo mihi præstante ingenium. Sed quid multis? Placuit Duci & Principibus experiri, si effectum habere verba Petri queant. Assumptisque viris, quasi triginta robustissimis, ficta necessitate Petrus ad Regem transfugit **RVTENORVM**, cumque arte sermonis circumuentum, quod malè de Duce sentiret, æstimare fecit. Et rex eo quod fidem haberet homini, quem etiam prudentem sensit, ad multa negocia sua, eius familiaritate vsus est, sperans quod tandem per eum de **POLONIA** tota triumpharet. At Petro aliud mētis erat. Nam cum die quadam fictus transfuga, ipsiusque socij cum rege in saltu nemoris venandi gratia vagarentur, rex nihil mali suspicatus occasione ferarū longius à mcenibus abscisserat, elongatisque alijs Petrus cum suis, circa illum remansit. Qua fretus oportunitate

capto rege incruentam vt pollicitus erat de RVTHENIS victoriam domino suo duci reportauit, mirumque dictu, effera gens illa hoc facto ita edomita est, vt nunquam postea viuente duce nec quidem de bello cogitarent. Nam pro ereptione sui tyrannus quidquid maiorum suorum studio ac solertia in thesauris collectum habere poterat, dare coactus est, aurum & argentum, & quæq; preciosa in vasis & vestibus, & varijs opum speciebus, quadrigis & camelis in POLONIAM adportantibus, ita vt RVTHENIA tota in * prærita paupertate contabesceret.

Deinde vbi fœdera mansuræ pacis iureiurando tam rex, quam optimates RVTHENORVM solidauerant, etiam hoc polliceri fide firmissima rogati sunt; ne POMMERANIS extra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus dux manum leuare cogitauit,

ITEM DE CAUSA

eadem.

III.

*

HIS ergo omnibus ipsius * adeò cum compositis POMMERANIAM insultibus crebris concutere, vastare ac populari cepit. Et quia paganismo tenebantur, dux eos aut penitus elidere aut ferro ad fidem Christianismi conatus est impellere. At illi suis fidi viribus, eò quod ciuitates & castra, natura & arte firma in introitu haberent quam plurima, se inexpugnabiles fore arbitrati sunt, omnemq; substantiam suam in vrbibus collocantes, armorum præsidia præparare moliantur. Sed quia DEO placuit, aliquas ex eis contere, vt cæteros ad fidem cõuerteret, ingenium & vires contra eos POLIZLAO ministravit, ita, vt multis & magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam & ciuitatem STE-TINENSEM, quæ stagno & aquis vndiq; cincta, omni hosti inaccessibilis putabatur, quæ etiam totius POMMERANIÆ

Metro-

Metropolis fuit, hyemali tempore strictam per glaciam, non sine periculo exercitum ducens, inopinata clade percussit. BADAM quoq; ciuitatem munitam & fortem, valde fregit & succendit; Et omnem in circuitu eius regionem, igni & ferro vastauit; adeo, vt ruinas, & adustiones, & acervos cadauerum interfectorum, per diuersa loca, monstrarent post annos tres, ac si de strage recenti. Tam grauisime autem in illarum ciuitatum expugnatione subacti sunt, vt quos neci & captiuitati dux superesse passus est, cum suo principe, Christianos se atq; tributarios fore, quod iurare licuit, pro ingenti lucro ducerent. Ferunt autem, quod 18000 virorum pugnatorum neci traditis, 8000. cum vxoribus & paruulis, ad terram suam captiuos abduxerit, & in periculosis marchiarum locis, in vrbibus & castris eos collocans, quo terræ suæ præsidio forent, & cum hostibus suis, gentibus scilicet extraneis bella gererent, indixit. Hoc addito, vt abdicatis Idolis, Christianæ se religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiserat, dux fidei Christianæ apponere curaret, omnes Episcopos terræ suæ conueniens, nulli persuadere potuit, vt illò ire atq; in tenebris & vmbra mortis sedentibus, lumen vitæ velle ostendere; singulis suas excusationes prætendentibus. Sicq; per triennium dilata est prædicatio.

QVOMODO LITERAS EPISCOPO

Ottoni miserit Poliz. laus dux.

ANDEM instinctu admonitus diuino, ad hoc opus OTTONEM Babergensem Episcopum, cuius tunc fama late in regnis effloruit, eò quod & hunc in adolescentia eius pater, sui capellani more obloquentem, notum & charum habuerit, inuitare decreuit: oportunum fore autumans, cum tali viro & an-

IV.

riquis renouarum amicitias, & tam sancti operis gratiam, illius iniungere sanctitati. Mittens ergo legatos & munera, scripsit ei literas, secundum verba hæc.

Epistola Poliz-
lai

Domino suo & patri amantissimo OTTONI, venerabili Episcopo, POLIZLAUS dux Polonorum filialis obsequij, humilem deuotionem.

Quia in diebus iuuentutis tuæ, apud patrem meum decentissima te honestate cōuersatum memini, & nunc quoque dominus tecum est, firmans te & benedicens tibi in omnibus vijs tuis, si tuæ non displicet dignitati, veteres tecum renouare amicitias, tuoq; consilio simul & auxilio vti ad DEI gloriam promouendam, ipsius gratia coadiuuante. Nosti enim, vt arbitror, quomodo POMMERANORVM cruda barbaries, non mea quidem sed DEI virtute humiliata, societati Ecclesiæ, per Baptismi lauacrum se admitti petunt. Sed ecce per triennium laboro, quod nullum Episcoporum vel sacerdotum idoneorum mihi uè affinium ad hoc opus inducere queo. Vnde quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur, rogamus, pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante seruitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento, id laboris assumere. Sed & ego tuæ paternitatis deuotus famulus, impensas omnes & socios itinerum, & linguæ interpretes, & coadiutores presbyteros, & quæcunq; necessaria fuerint, præbebo, tu tantum sanctissime pater venire dignare.

QVOMODO CONSILIO CHO-

risus, literas Apostolico miserit, pro licentia petenda euangelizandi.

V.



IS auditis Episcopus, quasi de cælo vocem Dei loquentis accepisset, toto pectore abundantia lætitiæ repletus, gratias egit omnipotenti DEO, quod

quod ad tale negotium, suo vti dignaretur ministerio. Habito igitur Chori & Cleri sui consilio; missis ad Apostolicam sedem legatis, pro petenda licentia, benedictione, atque obedientia, venerandæ memoriæ domini HONORII Papæ huic grauiissimæ sarcinæ humerum deuotè applicuit. Sed quia terram POMMERANORVM, fama ferente, opulentam audiuerat, & egenos siue mendicos penitus non habere, sed vehemèter aspernari, & iam dudum quosdam seruos Dei prædicatores egenos ac censu tenues, propter inopiam contempnissse, quasi nõ pro salute hominum, sed pro sua necessitate releuanda, officio insisterent prædicandi; studiosè procurauit, vt non solum illis non indigēs, verum etiam opulentus appareret, nec opes eorum sibi, sed ipsos potius velle Deo lucrari. Assumptis ergò Clericis idoneis, & eisdem ad iter abundè procuratis, Missales, aliosque libros & calices cum indumentis sacerdotalibus, & alia quæque altaris vtensilia, quæ in gente pagana subito non posse inuenire sciebat, prouida liberalitate secum fecit portari, ne sine instrumento agricola fidus in agrum domini sui exire videretur. Vestes quoque & pannos preciosos aliaque donaria, nobilibus ac diuitibus apta, Euangelista simplex & prudens in viam portauit Euangelium ne fortè indigentia causa, prudens videretur euangelizare: sed nouellæ plantationi sua potius conferre, quam illius appetere.

QVOMODO PROPECTVS

sit ad Pommeranos.



ARATIS ergo omnibus quæ profecti- VI.
 onem erant necessaria, proxima die post fe-
 um sancti GEORGI martyris, salutato clero
 Aaa 3 & po-

& populo suo, tamquam hoc opere viam sanctificaret, duas Ecclesias vnam in LVCHENBERG, & alteram in VOHENDREER consecrauit. Hinc transit nemore BOHEMICO venit ad CLADRIM Cœnobium, CLVNIA CENSIS ordinis; vbi honorificè susceptus, dedicauit Ecclesiam in honore sancti NICOLAI. Ibi etiam quasdam sorores velauit, quarum vnam nomine RICHAM amarissimè flentem, blandè consolatus est, dicens, Noli flere filia, quia secura esto, quia in die iudicij ego animam tuam, sponso tuo domino nostro Iesu Christo consignabo. In huius promissionis argumentum, post multa annorum curricula, in anniuersario depositionis Beati OTTONIS die, defuncta est. A CLADARIM digrediens, peruenit BRAGAM, inde per SAGISCHAM in ALBE fluminis ripa sitam Ecclesiam, ad castrum ducis Boemici, quod MILECIAM dicunt, vbi à duce ipso susceptus & donis honoratus est. Inde per aliud eius castrum BURDA nomine, vsque ad VENETIAM vrbis ducis Poloniae: atque inde per tres Episcopatus Poloniae, BREZLABENSEM videlicet, & CALISSENSEM atque POZNANENSEM, vsque ad Archiepiscopatum GNEZENSEM, cum gaudio & pace conducti sunt. Omnibus illic Ecclesijs, vna salutationis forma, Episcopum susipientibus; festiuè scilicet processions honore gaudentes, quod per loca singula, vno eodemque exultationis cantu, eius proposito alludentes, CIVES APOSTOLORVM ET DOMESTICI DEI ADVENERVNT HODIE. Et cætera quæ in illo Responserio sunt, deuote cecinerunt.

Præterea dux ipse & omnes optimates Poloniae, quasi ducentis passibus, ab vrbe GNEZNA, nudis pedibus procedentes, cum magna susceptum reuerentia principalem vsq;

vsque ad Ecclesiam conduxerunt. Dux ergo tali hospite
 latissimus & gloriosus per dies septē eius fruens præsentia,
 multa eius humanitate & benignitate, omnia etiam viæ
 necessaria solerti cura institit præparare: deditque Do-
 mino Episcopo de gente illa, tam POLONICÆ quàm
 TEVTONICÆ linguæ gnaros satellites, ad diuersa eius
 ministeria, ne quam incommoditatem per linguæ igno-
 rantiam, in gente externa pateretur. Quid dicam? currus
 & quadrigas, ordine longo, victualia & omnes sarcinas E-
 piscopi portantes, monetam quoque illius terræ liberalita-
 te contulit ingenua: nulla eos sustinens laborare inopia; sed
 neque propria expendere, ac si omne illius viæ meritum,
 suis impensis emere cogitaret. Tres etiam sacerdotes ca-
 pellanos de latere suo princeps Episcopo sociavit coadiu-
 tores verbi, & centurionem quendam PAVLICIVM no-
 mine, virum strenuum & catholicum; quietiam natu-
 rali facundia idoneus esset concionari ad populum.

Taliter à duce Poloniæ dimissi, scilicet Episcopus &
 qui cum eo erant, per castrum in extremis Poloniæ fini-
 bus transeuntes, nemus horrendum & vastum, quod
 Pommeraniam Poloniamque diuidit, intrauerunt. sed
 viam in inuio quam difficilè sit tenere, etiam illic experiri
 potuerunt. Nemus quippe hoc, nulli ante mortalium
 peruium erat, nisi quod superioribus annis dux latroci-
 nandi causa, priusquàm subegisset totam POMMERANIAM,
 festis signatisque arboribus, viam sibi exercituique suo ex-
 ciderat.

Quæ signa tenentes magna quidem difficultate pro-
 pter serpentum, ferarumque diuersarum monstra, nec
 non & gruum, in ramis arborum nidos habentium,
 colq;

tium, eosq; garritu & plausu nimis infestantium, importunitatem, simulque propter loca palustria, quadrigas & currus præpedientia vix diebus sex emenso nemore ad ripam fluminis quæ limes POMMERANIÆ est, confederunt. Dux verò POMMERANORVM aduentus eorum præsciis, cum quingentis viris occurrens, ex alia parte aquæ castra metatus est, moxq; amne transmissis, cum paucis Episcopum salutat, atq; salutatur ab illo, & quia Christianus erat, occultè autem, propter metum PAGANORVM, corde magis quam ore locutus, in amplexu Pontificis diu pèdens, alta deuocatione super viæ causa Dei clementiam collaudat, Episcopo & duce cum interprete PAVLITIO seorsum in colloquio demorantibus. cæteri qui venerant cum duce Barbari, quia Clericos aliquatim trepidare videbant, ficto eos terrore amplius vexabant, ita, vt articulum passionis imminere metuentes, confessione & orationibus atque psalmodia domino suum commendarent agonem. Nam primo illic paganos viderunt, & qua mente dux aduenerit, nondum omnes sciebant: Sed & horror solitudinis, & loca insolita, & nuper euasi nemoris nigra densitas, & crepusculum noctis propinquæ, & hominum Barbarorum crudelis aspectus, materia eis non parui timoris erant. Nam & cultros acutissimos educentes, viuos eos excoriare aut transfigere, ac humi eos defodere vsq; ad verticem, coronasq; eorum eisdem cultris punctare ac secare minati sunt. Et alia multa genera tormentorum, rictu fremituque eos terrentes eis imminere dixerunt. Sed cito respirauerunt, duce ipso eos placidè benignæque consolationis eulogio releuante, quodque inani pauore pulsati fuerint, vtrinque pro ioco esse cœpit. Nam vbi eis ducem ipsum aliosq; milites, qui eos terruerant, Christianos esse comperum est, paulatim quidem animose

animosè, deinde fiducialius agere, ipsosque etiam adhortari ac docere præsumserunt, quos antea vel intueri, metu percussi, non potuerunt. Ipsi ergò iam mansuescentibus, & religioni Christianæ magis magisque deferentibus, repletum est gaudio os illorum, & lingua eorum exultatione; dicebantque inter gentes, quorum Deus tetigerat corda, magnificavit dominus facere nobiscum, facti sumus latantes; quia Episcopo veniente ad eos dissoluitur dominus captiuitatem eorum, sicut soluitur glacies à sole meridiano. Episcopus igitur benè agendi semper audus, benè se venisse ominatus, donarijs ducem honorans, baculum quoque dedit, quo ille statim usus, ipsoque incumbens, gratulabundus huc illucque ambulat, conuersusque ad milites, Qualem, ait, patrem nobis Deus dedit, & qualia patris dona, & hæc nunc magis quam alio tempore gratiora? Hinc ad castra discessum est; factoque mane, dux demum qui secum venerant ductores & ministros reliquit Episcopo, mandans in tota POMMERANIA, per cuncta loca suæ possessionis, liberalia ei præberi hospitia. Christiani verò & Episcopus, transito fluuio, terram POMMERANORVM, in nomine domini, intrauerunt, & conductoribus eorum viam demonstrantibus, iter ad castrum PIRISSAM direxerunt. Dux verò ab eis ad sua negotia diuellitur.

In ipso autem itinere viculos paucos bellica vastatione & raris incolis, qui nuper se, post dispersionem recollerant, inuenimus, qui de fide Christiana conuerti, an credere vellent interrogati, humiliter pedibus aduoluuntur Episcopi, catechizari se atque baptizari postulantes. Hos ergò quasi primitias messis dominicæ, in aream domini sui messor deuotos, cum gratiarum actione componens, baptizauit illis homines triginta, fidemque sanctæ Trinitatis &

tis & Decalogum legis in numero tacite considerans, opus euangelicum, mystice à se inchoatum gauisus.

Deinde ad castrum ducis PYRISAM, vndecima hora diei propinquantes, ecce, illic hominum ad quatuor milia, ex omni priuincia confluxisse, vt erant eminus aspexerunt: erat enim dies festus Paganorum, quem lusu, luxu, cantuq; gens vesana celebrans vociferatione alta, eos reddidit attonitos. Non igitur vtile vel cautum eis visum est illa nocte, in turbam, potu læticiaq; feruentem, eos tam insolitos hospites aduenire; sed manentes, vbi fuerunt, noctem illam insomnem duxerunt; nec ignem in castris habere ausi, nec verbis ad inuicem loqui præsumserunt.

Mane verò Episcopus PAVLACIVM, & nuncios BRADIGLEZII ducis ad castrum mittit. At illi salutatis maioribus ex nomine ducum, ab eis missum nunciant Episcopum, qui fidem & religionem Christianam terræ illius debeat prædicare: atque sub eorundem autoritate mandant & suadent, vt digne ac reuerenter susceptum audiant: addentes, virum esse honorabilem, domi diuitem, & quoque in aliena terra suis opibus sufficientem; nihil illum petere, nullius egere; pro illorum salute aduenisse, non quæstus gratia. Memores sint fidei ac sponsionis, memores diuinæ vltionis & recentis exterminij, ne denuò iram Dei exasperent: orbem vniuersum Christianis legibus (viuere) se solos vniuersitati resistere non posse. At illi diu cunctabundi & diuersas excusationes molientes, indulgentiam temporis consilio petunt, non oportere dicentes, rem tam grandem subito aut inconsulte aggredi.

PAVLACIVS vero & legati astute ea dici animaduertentes, nō inquirunt tempus est productionis consilij; quod facturi

Sturi estis, facite citius, ecce iuxta est, sero intraturus erat ad vos dominus antistes, sed quia ludo & iocis occupatos audiuit, distulit intrare, in campo figens tentoria: sed vestra hoc conuenit prudentia, vt non illum despectiua dilatione contristetis, ne fortè & domini Duces se doleant super hoc iniuriatos. Et est, inquit, tam prope? Quibus, ita esse, respondentibus.

Et omnia, inquit, consilia nostra ruptum eunt. Quomodo ergo rerum conuenientia, postulat, faciamus sponte & alacres, quod facturi sumus. Nam & altissimus Deus sua nos virtute circumuentos vndique trahere videtur, Declinare non possumus, sequamur ergò trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius præcipitemur in mortem. Dij nostri, sicut apparet, Dij non sunt, contra eum nos iuuare non possunt.

Melius ergo est, vt relictis desertoribus ad verum DEVM, qui non deseruit sperantes in se, ex toto corde transeamus. Verum vbi eam sententiam tam bonam tamque salubrem diligenti retractatione probauerant, primo quidem apud se in conclaui, deinde vero cum legatis & PAVLICIO ad plenum vigorem laxiori consilio firmauerant, cum eisdem ad populum egressi, qui sicut ad festum confluxerat contra morem indispersus, DEI nutu in loco manebat, nec in rus discesserat, luculenti sermonis dulcedine, multo beneuolentia capru, eos de hoc verbo allocuti sunt. Sed quid multa? mirum dictu, quam subito quam facili consensu, omnis illa multitudo populi auditis somatum verbis in eandem sese inclinauerunt.

Et quia dici audiunt, Episcopum in proximo esse, facto ingenti clamore, vt aduocetur, vniuersi rogant,

Bbb 2

quo

rogant, quo illum videre queant, & audire, antequam soluto cœtu singuli in loca sua discedant. Redeuntibus itaque PAVLICIO & legatis, abierunt quidam de castellanis cum eis ad Episcopum qui obnixa veneratione ad se illum inuitarent, salutatum ex parte Nobilium, plebisque vniuersæ, quiq; fidem facerent sine omni periculo vel iniuriæ metu eum ostendere posse; quin etiam in omnibus obaudituros se ex animo. Episcopus vero tam quieto successu rebus se promouentibus, gratias agens Deo, ad castrum se leuabat, sed ecce cum quadrigas, archicula, & saginarios eorum victualia portantes, iumenta quoque & qui cum eis veniebant eminus videre cœperunt, quasi apparatus belli suspicantes, modicum turbati sunt. re autem sicut erat recte agnita, pauore abiecto, in modum torrentis omnis populus in occursum eorum effunditur, ambiens & circumdans, ammirans & contemplans, & eos & omnia eorum vsq; ad hospitij locum eos conducendo. Fuit autem ante introitum castrî area spaciola, quam occupantes fixerunt tentoria, in eodem loco ipsis barbaris mansuete ac familiariter eos adiuuantibus & in omnibus se eis oportunos exhibentibus.

DE PRÆDICATIONE

eius in Pyriffa Ciuitate.

VII.

INTEREA VERO Episcopus Pontificali-
bus indutus monente PAVLICIO & primatibus
de loco editiori populum cupientem ore allo-
quitur interpretis; ita dicens: Benedictio do-
mini super vos, benedicti vos à domino: benedicimus &
vobis gratias referimus in nomine domini; quia grata &
iucunda & benigna susceptione nos refouistis. Et causa qui-
dem

dem aduentus nostri ad vos, quæ sit, forte iam audistis & iterum si dignamini audire debetis & diligentius attendere. De via longa venimus. Salus nostra, beatitudo vestra, gaudium vestrum, tantæ nobis viæ causa fuit. Nam læti salui atq; beati eritis æternaliter, si creatorem vestrum agnoscere & illi seruire vultis. Hæc & his similia, quæ inferere studio breuitatis omitto, populo rudi simpliciter euangelizante Pontifice, omnis illa multitudo, quasi vnus homo, fidei sanctæ concordantes, illius doctrinæ se commiserunt. At ille cum clericis & sacerdotibus septem diebus eos catechizans, & de omnibus quæ Christianæ religioni conueniebant, diligentissime instruens, indictorium dierum ieiunio, iussit, vt corpora sua balneis munda- rent, & lotis albisque induti vestibus, mundo corpore, mudoq; habitu, ad sanctum baptisma concurrerent. Interim vero tribus exstructis baptisterijs, ita ordinauit, vt ipse solos mares pueros in vno baptizaret, alij autem sacer- dotes in alijs foeminas seorsum, & viros seorsum. Tanta quoque diligentia tanta munditia & honestate, Pater optimus sacramenti operationem fieri edocuit, vt nihil indecorum, nihil pudendum, nihil vnquam quod alicui vero gentilium minus placere posset, ibi ageretur. Namq; dolia, grandia valde, terræ altius immergi præcepit, ita vt ora doliorem vsq; ad genu hominis vel minus de terra prominere, quibus aqua impletur, facilis erat in eam descensus, cortinas circa dolia, fixis columnellis funibusq; inductis, oppandi fecit, vt in modum coronæ velo vndiq; cuppa cingeretur, ante sacerdotem vero & comministros, qui ex vna parte astantes sacramenti opus explere habebat, luteum sine traiecto pependit; quatenus verecundiæ vndiq; prouisum foret, nequid ineptiæ aut turpitudinis notaretur in sacramēto, neue honestiores personæ pudoris occasione se à ba-

ptiſmo ſubtraherent. Cùm ergo ad ſtadium Baptiſmi tur-
 bæ venient, ſermone qui talibus competeret, Episcopus
 eos omnes communiter alloquẽs, ſexumq; à ſexu dextror-
 ſum & ſiniſtroſum ſtatuens, catechizatos oleo perunxit,
 deinde ad baptiſteria degredi mandat. Igitur ad introitũ
 cortinæ venientes ſinguli tantum cum paternis ſuis intra-
 bant ſtatimq; veſtem qua fuit amictus is qui baptizandus
 erat, & cereum, illo, inquam, deſcendente, paterni ſuſci-
 piebant; & ante faciem ſuam illam tenentes, exſpectabãt,
 donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero qui
 ad cupam ſtabat, eum audiſſet potius, quam vidifſet, quod
 aliquis eſſet in aqua, velo paululum remoto trina immerſio-
 ne capitiſ illius, myſterium ſacramenti perfecit, unctumque
 liquore chriſmatis in vertice, & alba p ropoſita, reductoq;
 velo, de aqua iuſſit exire baptizatum; paternis, veſte quã
 tenebant, illum cooperientibus atq; deducentibus. Hic
 modus, hæc ſpecies, hic ordo eis fuit baptizandi viros, &
 mulieres, pueros & adultos, qui a ſacerdotibus in aquam
 leuari non poterant, tam in PYRISSA quam in urbibus alijs
 & caſtellis, vbicunq; populi copia eos moram facere coë-
 giſſet: in hyeme quoq; in ſtubis calefactis & in aqua calida
 eodem nitore atq; verecũdię obſervatione, in ſolis dolijs &
 cortinis adhibitis, thure quoq; & alijs è diuerſis ſpeciebus,
 euncta reſpergentibus, veneranda Baptiſmi confecit ſa-
 cramenta. Namq; in omni occasione ſua (quod & paganiſ
 dignum laude videbatur) quandam à ſpiritu ſancto cuiuſ-
 dam ſingularis munditiæ atq; elegantis & urbanæ diſcipli-
 næ prærogatiuam habebat; ita vt nihil vnquam indecens
 aut ineptum inhoneſtum neq; in cibo, aut potu, ſermone,
 geſtu, vel habitu mitteret, ſed in omni officio exterioris
 hominis, quænam eſſet compoſitio interioris, oſtendebat,
 bonitate, diſciplina, cautela prudentiæ conſpicuus.

DE

DE INSTITVTIONE

Baptifatorum.

MANERVNT autē in eodē loco quasi dieb⁹ vigin-
ti, Euangelizantes populo & Baptizantes eos in
nomine domini; docētēs eos seruate vnitatem
fidei in vinculo pacis, instruētēs de festiuitatib⁹ & obserua-
tionib⁹ Christianæ religionis, de ieiuniis quatuor temporū,
de quadragesimali ieiunio, de incarnatione, de Natiuitate,
Circumcisione, Apparitione, Præsentatione, Baptismate,
Trāsfiguratione, Passione, Resurrectione atq; Ascensione do-
mini nostri Iesu Christi, de Aduētū spiritus sancti, de vigilijs
& natalijs Apostolorū & aliorū Martyrum & sanctorū, de
die Dominica, de sexta feria, de distributione Mensium &
Institutione totius anni, secundum Christianos, exstructoq;
& sanctuario: totum enim corpus basilicæ tam subito fieri
non potuit, altare sanctificauit, & interim missas illie cele-
brari præcepit, dans eis sacerdotem, libros, & calicem, pa-
raturam, & omnia vtenilia, quæ ad officium altaris perti-
nebant. Quæ omnia illi cum multo gaudio, alacritate, ac
deuotione suscipientes, & gratias agentes, omnes veteres,
& profanas superstitiones suas & gentiles obseruantias pe-
nitus abijciabant, & exuti veterem hominem, cum actib⁹
suis in vitæ nouitate ambulare cœperunt, & proficere. Erat ^{Rom. 6.}

autē numerus conuersorū ibi ad fidem quasi septem millia.
Videns autem Episcopus quia messis multa & quod
& alijs ciuitatibus oportet eum Euangelizare regnum
DEI, cum inde processurus esset, vocata concione hoc
sermone allocutus est Ecclesiam: Fratres æmulor vos
DEI æmulatione: vos enim omnes qui in præsentia-
rum ad me audiendum conuenistis & me docente, Chri-
sto credidistis & Christiani facti estis, vna in Domino Ec-
cle-

VIII.

Gal. 4.

1. Pet. 2.

clesia, estis desponsati per fidem Domino meo Iesu Christo; vna, inquam, vos omnes Ecclesia estis, vna & vnica sponsa Domini mei Iesu Christi, quia vnica vniuersali Ecclesie per fidem incorporati estis. Sed quia ego per eius gratiam huius veræ desponsionis auctor esse videor, (Nam ego ei vni viro despondi vos virginem castam exhibere) hinc est quod æmulor vos non tamen qualibet, sed Dei æmulatione. Nam & mala æmulatio esse potest iuxta illud Apostoli: Sunt quidam qui æmulantur vos non benè, æmulari autem est, velle indignari, & paratus vobis sum indignari quod pridem dixi; æmulor vos: quia sine tristitia & indignatione ferre non possum, nec potero, si quod absit, ad iniuriam Domini mei Iesu Christi, cui per fidem vos despondi, cum Dijs alienis vos denuò contaminari volueritis. hoc enim est fornicationis genus, quod maximè separat à Deo. Fratres attendite, ecce omnes in Christo baptizati estis, & omnes Christum induistis, originalium & actualium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi estis & sancti non per nos, sed per eum sanctificati & mundati: quia ipse in sanguine suo lauit peccata mundi: nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum, nam hæc est immudicia, qua omnino Deus offenditur, & penitus separat à gratia Dei, nolite vos prostituere corruptionibus, & immundis spiritibus, soli creatori vero, nulli autem creature diuinum honorem exhibeatis, ne indignatio eius & furor veniat super vos: sed magis in fide, & spe & charitate perficite, vt benedictio eius veniat super vos & super filios vestros, & vt ei credentes & fidem operibus exornantes, vitam habeatis in nomine ipsius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. certi enim esse, & nullatenus dubitare debetis, quia si hanc, in qua hodie positi estis, innocentiam ser-
 uaueri-

uayeritis, & istam sanctificationem, ipsius adiutorio seruare usque ad finem vitæ vestræ studueritis, non solum mortem euadetis æternam, sed etiam gaudium regni cælestis possidebitis in æternum. Sed quia vita præsens sine peccatis duci non potest: luctamen enim & temptatio est vita hominis super terram; discessurus à vobis, trado vobis, quæ tradita sunt nobis à Domino. Arram fidei ---- inter vos & domini fidelis septem Sacramenta Ecclesie, quasi septem significatiua dona Spiritus sancti, quibus intendendo in laboribus & certamine huius vitæ non deficere, vt sciatis diligenter enumerare quæ tradimus vobis, discedentes à vobis.

Primum ergo Sacramentum est quo iam imbuti estis, sacrosanctus Baptismus. hoc Sacramentum, fratres mei, abhinc & semper tenerè venerari debetis, & paruulis vestris oportuno tempore, scilicet in Sabbatho sancto Paschæ ac Pentecostes per manus Sacerdotum tradere debetis; certissime scientes, quod quicumque sine illo de hac vita emigraverit, regno Dei carebit, & insuper maledicti originalis pœnas luet æternas.

Secundum sacramentum est Confirmatio, id est, vnctio Chrismatis in fronte. hoc Sacramentum victuris est necessarium: videlicet, vt Spiritus sancti corroboratione muniantur & armentur contra omnes tentationes & nequitas vitæ præsentis pugnaturi. Non autem usque in senectam differendum est, vt quidam putant, sed in ipsius adolescentiæ feruore percipiendum: quia illa ætas magis obnoxia est temptationibus.

Tertium Sacramentum est vnctio infirmorum, quod ideò morituris est necessarium, quia in illa vnctio per virtutem Spiritus sancti remissio datur peccatorum, & ipse qui moriturus est, cõtra spirituales nequitas, id est, con-

tra malignos spiritus in exitu vitæ animabus insidiantes eadem spiritus sancti virtute pugnaturus armatur, hoc omni Christiano in agone mortis ardentissimè desiderandum, & deuotissimè percipiendum est, vtpote remedium animæ certissimum.

Quartum Sacramentum est *Eucharistia*, id est, corpus & sanguis DOMINI. hoc Sacramentum victuris, & morituris est necessarium. Siue enim viuimus, siue enim morimur, hoc viaticum semper vtendum est. Est enim cibus animæ verus, vitam in se habens æternam. Vnde frequenter Missæ celebrandæ sunt, & vos ad easdem deuotè conuenire debetis, vt sæpius huic viatico communicetis. Quod si non potestis, quia carnales estis, huic tam sanctissimæ rei per vos ad omnes missas participari saltem per mediatorem vestrum, scilicet Sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reuerenter, ac deuotè missas audiendo communicate. Oportet tamen & vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest, & confessionem facere atque ipsi Sacramento communicare.

Quintum Sacramentum est per pœnitentiam reconciliatio lapsorum, id est, eorum, qui post Baptismum propter grauiores culpas ab Ecclesia proiecti, per satisfactionem pœnitentiæ iterum ei conformantur. Et hoc Sacramentum quasi malagma & recuperatio est cadentium in pugna & vulneratorum.

Sextum Sacramentum est coniugium, id est, copula matrimonialis. Quinq; autem superiora Sacramenta, quasi generalia sunt, & omni Christiano necessaria: istud autem quasi particulare est; quia nõ omnibus necessarium, sed eis tantum qui se continere non possunt, & sicut ad superiora Sacramenta omnes homines trahendi sunt & inuitandi, ita

di, ita nullus ad hoc trahendus est, & inuitandus: nisi qui, vt dictum est, se non continent, sed vago & illicito concubitu sese polluunt & commaculant: his enim suadendum est, vt infirmitati suæ honestiori subueniant remedio.

Vos autem qui vsque ad hæc tempora non Christiani sed pagani fuistis, Sacramentum coniugij non habuistis: quia fidem vni thoro non seruastis. Sed qui voluistis, plures habuistis vxores; quod deinceps vobis non licebit. Sed vnus vir vnam tantum habere debet vxorem, & vna vnum. Quod amplius, à malo est. Si quis ergo in vobis est, qui plures habuerant vxores ante Baptisum, nunc vnam de illis, quæ sibi magis placeat, eligat, dimissisq; alijs hanc solam habeat, ritu Christiano. Et partus, inquit, scemineos, audio, quia vos o mulieres, necare consueuistis. Quod quantum abominationis habeat, exprimi sermone non potest. Videte si hoc vel bruta animalia faciant foetibus suis. Parricidium hoc non fiat amodo in vobis: quia sine grauissima pœnitentia dimitti non potest. Siue igitur sit masculus, siue scemina, diligenter enutrite partus vestros: Dei enim est & marem procreare & sceminam.

Septimum itaque Sacramentum est, ordinatio siue consecratio clericorum, quod & ipsum particulare est & non generale, quia non omni homini necessarium est; quamuis enim omnes homines indigeant clericis, non tam est necessarium omnes homines fieri clericos. Ad ipsum tamen Sacramentum, qui moribus ac scientia magis idonei sunt, inuitandi potius, quam trahendi. Vnde adhortor vos & inuito: quia cogere non debeo: vt

de liberis vestris ad clericatum tradatis, liberalibus studijs prius diligenter instructos, vt ipsi per vos, sicut alia gentes, de lingua vestra, latinitalis cōscios possitis habere Clericos & sacerdotes. Ita ergō septem sacramenta, quæ iterum vestri causa enumerare libet, & baptisum, confirmationem, infirmorum vnctionem, Eucharistiam, lapsorum reconciliationem, coniugium, & Ordines, per nos humiles suos paranyphos sponus cœlestis in arram verę dilectionis vobis, Ecclesiæ ac sponæ suę transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reuerentia eadem sacramenta seruate diligēter, & veneramini; docete ea filios vestros, vt memoriter teneant, & diligenter obseruent in omnes generationes. Ecce habetis Ecclesiam, habetis sacerdotem de his omnibus, & quæcunq; sunt necessaria vobis, abundantius vos instruere scientem. Ipsum ergō sicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quæcunq; vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum citò reuersurus ad vos. Valete in domino dilectissimi.

QVOMODO PER MATRONAM multiplicatus sit numerus credentium.

IX.



OSTQVAM confirmata & instructa est Ecclesia in PYRISSA, VBERRIME, CACERMATI, populoq; primitiuo eorum, caro affectu, vac facientes, legatis eos deducentibus, ad ciuitatem ducis CAMINAM deuenimus. Erat autem illic ducissa vxor videlicet ducis legitima, & licet inter paganos, Christianæ tamen religionis memor, de eorum aduentu lætissima efficitur, & cum omni domo sua tanto eos deuotif-

notissimè suscepit, quanto & hoc marito placere suæq; illius saluti profuturum non dubitauit. *Eis enim PYRISÆ* demorantibus, omnia quæ illic gerebantur, immisis clam exploratoribus diligenter edidicit, magnoq; tripudio cordis de illuminatione illius plebis exultans, ipsam quoq; suæ fidei scintillam, quasi sub mortuis cineribus eatenus consopitar., inter suos familiares modestè primò; deinde fiducialius apud omnes quos potuit ventilare cœpit. Et quia scriptum est: De scintilla confurgit ignis, totam illam ciuitatem, etiam ante eorum introitum, tantus ardor fidei, operante domino per matronam, inuaserat, vt non solum nil contradictionis, verum etiam totius populi consensum, de suscipiendo Baptismo, inuenerint, in multa gaudij plenitudine.

Ecclesi. 14

QUANTVM BAPTIZANDO laborauerint.

QVADRAGINTA ergò fermè diebus in eodè loco manentes, tam ipse pontifex, quam alij eius cooperatores, sacerdotes, & Clerici, id pene solum operis habuerunt; suscipere venientes ad fidem, ducere, catechizare, prædicare & baptizare: videbanturq; in tam copiosa messe, pauci messores. Nam & ipsius loci atq; circūiacentis prouinciæ populus cateruatim accedebat cottidie ac recedebat; quibus omnibus dū satis fieri oporteret, immenso labore, maximè qui fuit in baptizando, *Episcopum* (licet solos mares, pueros tingeret) sæpenumero sudantem aspexerunt; adeo profecto, vt alba eius ab humeris vsq; ad umbilicum antè & retro sudore manaret. Sæpe etiam ipsius ministerij nimietate lassatus,

X.

Ccc 3

fatus,

fatus, breui sessione, vires recuperans, modicumq; sed edo
respiras, quasi annosus operator & strenuus, denuo se suble-
uabat in idem opus sibi dulcissimū, gratias agens omni-
potenti Deo, quod ipse præstante clementia, tot manipulos
in eius horrea cum sudore ac lassitudine sua congereret.

QVOMODO DVX FRATIZ.
*superuenit, & quid eis humanitatis
impenderit.*

XI.

DV M ea CAMINAE gerebantur, atq; de
successu rerum & Episcopus cum suis & popu-
lus ciuitatis cum ipsa matrona nobilissima, &
Christianissima, spiritali gaudio fruerentur,
ecce cum suo comitatu dux terre VROCLAVS, non modi-
cum letitiæ salutaris augmentum, superuenit; nihilq; mo-
ratus, quasi filia h fiducia, in amplexu tuens Episcopi, Sal-
ue, inquit, Pater sanctissime. Deinde, Non, quæso, ait iras-
catis, quod post primam illam salutationem tam diu fuisse
non videns, sed causa fuere inexcusabiles rei publicæ admi-
nistraciones. Nunc autem ecce assumpare ac seruire tuæ
paternitati pro vt vis. Etenim nos ipsi & omnia nostra tui
sumus, vt ere sicut vis. Et hæc dicens, conuersus ad clericos
& ad alios quosq; meliores de comitibus Episcopi, Et hos,
inquit, pater tuos colaboradores tua licentia salutabo: ap-
prehendensq; manus singulorum tenebat, & benedicebat il-
lis atq; de osculabatur, eos filios & fratres appellans charissi-
mos: benedixitq; Deum omnium bonorum largitorem,
quod hospites tam gratissimos sua domo suscipere meruis-
set. Quia vero deinceps nauigio de ciuitate ad ciuitatem
audum fuit, omnes equos & iumenta eorum, villicos suos

ad

ad oportuna loca terræ, pastus gratia, deducere iussit; neq; ante eis vehebantur, quam etiam consumatis omnibus de terra fuerant iam exituri. Quos certe ita receperunt alteratos, ut præ crassitudine vix cuiq; suus cognosceretur. Milites ergo qui cum duce venerant catechizati, statim & baptizati sunt; multiq; ex eis qui ipsius Christiani fuerant, sed ex consortio incredulorum metas Christianitatis excesserant, ex quorum numero ducem etiam ipsum fuisse constat, per confessionem & penitentiam ecclesiæ confirmati sunt; promittentes deinceps omnia quæ Christiano inimica sunt nomini, respuere, & ea quæ sunt apta sectari,

QUOMODO IPSE DVX
seu reliqui egamiam abdicauerunt.

* polygamiam.

DVX etiam, Scio, inquit, Christianæ sanctitati esse contrarium plures Vxores vel concubinas habere, simulq; tactis sanctorum reliquiis, sicut Christianis iurare mos est, coram populo, aspiciente Episcopo, viginti quatuor concubinas, quas ritu gentili suæ legitimæ vxori superduxerat, publice abiuravit.

XII.

Quod videntes alij complures, eiusdem enormitatis præsumptores, abiurata & ipsi coniugij pluralitate, vni thoro, exenplo ducis, fidem seruaturus se polliciti sunt. Creuit ergo Ecclesia in loco illo, & confortata est in timore domini ambulans, & spiritu sancto replebatur, Episcopo & clericis instantibus & Euangelizantibus regnum Dei.

Exstru-

Exstructa quoque illic basilica & sanctificato altari & sanctuario, collatisque illuc per ducem prædijs ac dote, in sustentationem Sacerdotis, pater liberalissimus sicut omnibus in terra illa Ecclesijs faciebat, libros contulit, & indumenta Sacerdotalia, calicem quoque argenteum cum ceteris vtenfilibus, deque suis Sacerdotibus vnum, qui populum posset instruere, eidem præfecit Ecclesiæ.

DE MATRONA METEN.
te & mortua die Dominica.

XIII.



VM hæc omnia ritè peracta fuissent, & non solum de ciuitate, verum etiam de rure populus ad Ecclesiam omni die conuenirent, & diem Dominicam aliasq; solennitates deuotè obseruarent; vidua quædam in rure non longè à ciuitate CAMINENSI, diues ac nobilis valde, Christiana religione contempta, patrios Deos se colere nullaque occasione vanitatis nouæ, à patrum suorum veteri traditione declinare se velle dicebat. Erat autem multam habens familiam, & non parua auctoritatis matrona, strenuè regens domû suam: & quod in illa terra magnum videbatur, maritus eius, dum viueret, in vsum satellitij sui triginta equos cum ascensionibus suis habere consueuerat.

Fortitudo enim & potentia nobilium & capitaneorum, secundum copiam vel numerum æstimari solet cabalorum. Fortis, inquiunt, & potens, ac diues est ille, qui tot vel tot potest habere caballos, sicut audito numero caballorû numerus militum intelligitur. Nullus enim militum præter vnum caballum illic habere consueuit.

Sunt autem magni & fortes equi terræ illius, & vnus quisq;

quisque militum sine scutifero militat manticam per se gestans, & clypeum agiler satis & strenuè sic militiæ suæ officium exequentes. Soli autem Principes & capitanei vnum tantum vel si multum est duobus clientibus contenti sunt. Factum est ergo in vna Dominica die tempore messis, populo vndique ad Ecclesiam properante, præfata matrona nec ipsa veniebat, nec suos permittebat; sed magis turbulenta: Ite, inquit, metite mihi agros meos, hoc enim vtilius est quàm vacare illi nescio cui nouo Deo, quem de terra sua vobis affert ille. OTTO Babergensis Episcopus, quid nobis cum illo? videtis ne quanta bona, & quantas diuitias nobis dederint Dij nostri. Ipsorum vtiq; largitate, opibus, & gloria omnibusque rebus abundantes sumus, quare ab eorum cultura discedere non leuis iniuria est. Igitur ite ad metendas segetes nostras; & vt minus timatis, paratim mihi vehiculū; ecce ipsa ego vobiscum in campos messura descendam. Cumq; in agrum venisset, quod me, inquit, facere videtis omnes similiter faciatis, moxq; rebrachiatis manicis fuccinctaque veste, falcem dextra corripuit, stantes vero calamos sinistra tenens metere visa est. Sed mirum dictu, in actu ipso subito, vt erat inclinis, misera dirigit, & quasi marmoris effigies, nec semetipsam erigere, nec falcem è manu dimittere potuit, nec segetem; sed muta, & nil loquens, similis simulachro, stabat, tantum intuens intuentes se.

Videntes autem famuli, timuerunt valde, & circumstantabant eam aspicientes, & operientes sinam melius esset habitura. Rogat etiam, vt à temeritate sua respiscat, dicentes, fortem esse Deum Christianorum. Sed illa nihil respōdebat. Iniectis ergo manibus violenter illam trahentes, erigere conati sunt, & falcem segetemque de manibus extorquere; sed minimè potuerunt.

D d d

Stabat

Stabat autem quasi moles immobilis terræ affixa, At ubi satis miraculi ac stuporis hoc habitu infelix illa inuentibus ostenderat, ipsique famuli dolore ac rædio affecti, iam abire illamque dimittere vellent, soluta illa repente corruit fontemque animam in ignem tartareum efflavit. Quam leuantes in vehiculum, En, inquit, qualem manipulum de agro die Dominico reportamus. Quod factum ubi perferente fama passim vulgatum est: nam famuli statim ad Ecclesiam currentes Baptismum postulant, stupidi, quod acciderat referentes. Et credentibus quidem fides aucta est ex miraculo; non credentes autem & si qui adhuc blasphemi exstiterant, ad credendum ex pœna multa uel mulieris eruditi sunt.

Dies autem Dominicus & aliæ solennitates reuerentius obseruare cœperunt: & tamen ipsum cum suis omnibus Episcopum, quam omnem eorum doctrinam amplius reueriti sunt.

DE TRANSITV EPISCOPI ad Vilinam ciuitatem.

XIV.



XPLETIS autem illic fermè quinquaginta diebus, acceptis à Duce legatis, & conductoribus, de ipso loco, ciuibus, DOMEZLAO uidelicet, & filio eius, viris honoratis, per lacus & refusiones marinas VILLINAM uenti sunt nauigio.

Est autem ciuitas hæc magna & fortis: homines ipsius loci crudeles erant & barbari. Cum autem appropinquassent ciuitati, conductores eorum hære, pauere atque inter se mustitare cœperunt. Quod intelligens Episcopus,

pus, Quid est, ait, quod ad inuicem confertis? At illi, timemus, inquit, pater tibi ac tuis. Populus iste durus semper & indomitus fuit. Si ergo placet tibi applicemus, & moram in littore vsq; ad crepusculum noctis faciamus, ne forte ciuitatem manifeste ingrediendo, tumultum populi super nos suscitemus.

In singulis autem ciuitatibus Dux pallacium habebat & curtem cum ædibus, ad quam si quis confugisset, lex talis erat, vt quolibet hosce persequente, securus ibi consisteret & illæsus. Dixerunt ergo, si per noctem ad Ducis tecta intramus, freti securitate, paulatim ciues conueniendo, negotiumque nostrum illis pedetentim insinuando, melius fortasse proficiemus. Placuit consilium, vt cum dies abcessisset: tecti vmbra noctis, curtem & mœnia Ducis inuaserunt illis ignorantibus. In crastinum vero vbi eos viderunt, & qui nam essent, & vnde & quare venimus, maligni homines scrutati sunt.

Primo quidem moueri ac sensim turbari, currere ac destruere, videre illos, iterumque videre & alijs alij nuntiare

Postremo vero insano furore correpti, magno tumultu, securibus & gladijs alijsq; telis armati sine vlla reuerentia in ipsam Ducis curtem irrumpentes, mortem eis sine vlla retractatione, nisi quanto citius de curia & de ipsa ciuitate fugerent comminabantur.

Erat in ipsa curte ædificium quoddam fortissimum, trabibus & tabulis ingentibus compactum, quod STYBA vel pyræale vocant, in quod scrinia & clittellas, & Capellani Episcopi & pecunias & quæq; preciosa de naui portauerunt: quin & propter impetum furentis populi cum Episcopo clerici omnes illuc confugerant.

D d d z Sed

Sed illi vociferabantur & clamabant, exire eos compellentes. Sed moram eis facientibus, quasi à furore illi essent cessaturi, magis eorum exarsit insania, factoque impetu stabam aggrediuntur, & dissipant, lecto primum, dein parietibus disiectis, & excisis. Tunc vero Episcopus ad coronam passionis se inuitari sperans, alijs trepidantibus, quibusdam etiam præ pauore lachrymantibus, ille spiritu iocundo & hilari vultu stabat intrepidus optans & gliscens, ut vel unum ictum aut vulnus in nomine Iesu accipere dignus habeatur. **PAULICIVS** vero & legati videntes quia verè insaniunt omnes, & quia illic moram facere deterius est atque deterius, in medium populi exilientes, validissimo clamore, ac si & ipsi furerent, extentis manibus, silentium fieri postulant. Quibus ad modicum sedatis, illi continuo profecuti. Quid est hoc? inquit. Et causam totam in semetipso transuentes, Nos, aiunt, hic in curia domini nostri ducis pacifice hinc exire permittite. Quid furitis in nos? Quem læsimus ex vobis? At illi, Impostorem, inquit, illum Episcopum & cæteros cum eo Christianos, Deos nostros blasphemantes interficere venimus. Sed si eos saluare vultis, ecce damus locum cito eos extra ciuitatem deducite. Plateæ autem ciuitatis palustres erant & lutosæ, & pontes extracti, & tabulæ vndiq; positæ propter lutum. Arripit ergo **PAULICIVS**, per manum trahere cœpit Episcopum, & deducere, adhortans modeste, ut si posset properantius iret. Ut autem per medium turbæ omnes non inperturbatis passibus extra curiam vsq; ad pontes deuenimus: ecce quidam de turba vir barbarus & fortis, librata, quam gestabat ingenti phalanga, vasto ictu caput ferire visus est Episcopi: Sed ille auertens caput, humero ictum suscepit, eodēq; geminante cominus & alio eminus in eum iaciente contum, inter manus **PAVLITII AC HILTANI** sacer-

multus imponentes, Habuit ergo Episcopus cum eis verbū de fide Christianismi, quasi per ambages hortans eos & suadēs. Præferbat etiā nomē & potentiā ducis POLONIÆ, & quomodo ad illius iniuriā spectat illata sibi suisq; contumelia, quidūē mali contra eos inde oriri queat, nisi forte illorū intercedat cōuersio, insinuauit. At illi consilium se accepturos dicebant; regressiq; ad suos omnia hæc tractabant diligenter atq; retractabant: tandemq; in vnius sententiæ formam concesserunt videlicet super hoc verbo se facturos quidcūq; facerent STETENENSES. hanc enim ciuitatem antiquissimam & nobilissimam dicebant intra POMMERANORVM, matremq; ciuitatū, & satis iniustum fore, se aliquam nouæ religionis obseruantiam admittere, quæ illius auctoritate prius roborata non fuisset.

DE TRANSITV EIVS

ad Stetinam.

XV.



VIBVS auditis Episcopus STETINAM nihil cunctatus adire festinat, & quendam de VILINENSIBVS ciuibus NEDAMERVVM nomine, vt viam sibi monstraret, assumpsit. Hic autem familiaritate Episcopi bene vtens, cum filio suo quasi alter Nicodemus, occulte eos frequentabat, & quæ dicebantur, libenter audiebat. Alij quoq; nonnulli de ipsa ciuitate occulte Christum colebant tā viri quam mulieres. Isti etiam frequentabant eos, dum ibi moras facerent, deq; suis rebus eis humanitatem honeste impendentes, spirituali consolatione ab Episcopo recreati sunt; optantes, vt STETINA recipiente verbum Dei, VILINA quoq; recipere ex ratione pacti conuincatur. Quidam de ipsis quid de Christo sentiant, Christianis patefacientes, in locum suum occulte

occulte reuerſi ſunt. Ipli vero p̄repuſculum noctis, appli-
 cantes ciuitati, egreſſi naues, curiam Ducis intrauerunt.
 Mane facto PAVLICIVS & legati primates adeunt; ex parte
 ducum ſe cum Epifcopo miſſos referunt; cauſam viæ pro-
 ponunt eis Euangelium, dant conſilium, promittunt & ter-
 rent. At illi inquit, Quid nobis & vobis? Patrias leges
 nō dimitemus, contenti ſumus religione quam habemus.
 Apud Chriſtianos, aiunt, fures ſunt, latrones ſunt, truncā-
 tur pedibus, priuantur oculis; & omnia genera ſclerum &
 p̄enarum: Chriſtianus execratur Chriſtianum. Abſit à
 nobis religio talis. Hæc & his ſimilia proteſtantes, obdura-
 uerunt aures ſuas ne audirent verbum. Omnibus igitur ob-
 ſtinatis per duos meſes, & plus ibi morantes, nihil p̄ne
 profecerunt. Dum ergo tam longa & vtilis mora ciſturba-
 tionis eſſet, conſilium incidit legatos mittere ad Ducē P̄o-
 r̄oniæ ſciſcitari, quid de Chriſtianiſ iuberet, vtrum ma-
 nere illic, an redire; & de contradictione ciuitatum, quid
 ei videretur. Quod conſiliū vbi ciuibus compertū fuit, ti-
 mebant quidē, tamen rogabant, vt mitterentur legati; ſuos
 cum illis hac ratione profecturos, dicentes, vt ſi apud Ducē
 perpetuæ pacis ſtabilitatem obtinere, tributūq; alleuiare
 queant; ni ſibi coram ſuis & noſtris legatis ſcripto firmatis
 Chriſtianiſ ſe legibus ſponte inclinarent. Abeuntibus ergo
 cum PAVLICIO Chriſtianorū & paganorum legatis, iſti in-
 terim bis in hebdomada in dieb⁹ ſtilicis mercatus, per me-
 dium fori populo ex omni prouincia conueniente, ſacerdo-
 talibus veſtibus induti, CRUCEM portauerunt, & de
 fide atque agnitione Dei populum incredulum oportu-
 ne & importune alloquendo, iugulum neci quodammodo
 cottidie aptauerunt: ſed Deo protegente læſi non ſunt.
 Plebs autem quæ de rure fuit, ſimplicitate ſua & re-
 ſū nouitate rapta, negocijs ſuis poſtpoſitis, prædicationem
 libera-

libentissimè accepit, quamuis credere non auderet. Et quia certis diebus CRUX portabatur, & sermones fiebant, magis propter verbum quàm propter forum ruricolæ cõfluebant.

DE CONVERSIONE DVORUM adolescentum.

XVI.

QUOTIDIE autem fidei retia laxantibus, & nihil eis capientibus, & multum super hoc tædentibus, tandem benignus Dominus sedulitatem boni serui sui OTTONIS, laborem quoque ac mœstitiam miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes filij cuiusdam nobilis de ciuitate, domum Christianorum frequentare, & familiares se præbere, paulatimque de Deo nostro, & de fide quærere cœperunt.

Episcopus autem sentiens quia in bono veniunt, futurorum bonorum prælagium captâdo ex his, blandis mulcet colloquijs atque de mundicia & honestate Christianismi, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe & gloria vitæ æternæ, adolescentibus per singulos dies euangelizauit. Quæ omnia flante Spiritu sancto pueri altius suis inbibere pectoribus neq; diu cunctati credere se velle atque Baptismum percipere dixerunt, Episcopus ergò lætissimus pueros statim catechizat, ac de omnibus quæ Christianæ religioni competebant, diligenter instructos, iussit, vt loti & lotis induti, cum cereis suis, & albis sese præberent baptizandos. Illi vt moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus inscijs, loti & purificati noiusq; ac mundis vestibus induti, cum albis & cereis percepturi sanctû baptisma, se manibus

Episco-

Episcopi obtulerunt. Videres humano in corpore vultus angelicos. Videres expulsa Dæmoniacci squaloris inertia in vultibus iuuenum Christum, nouum hominem gratiosam iam coruscare aspectu. Pontifex ipse omnesque alij sacerdotes & clerici gauisi sunt, & admirati super gratia quam videre in pueris. Sed quid multa? baptizati sunt, propter octauam purificationis, octo dies apud Episcopum commorantes, in domos parentum non sunt reuersi.

DE ADVENTV MATRIS eorundem.

MA TER vero illorum (nam pater domo aberat) vbi quæ gesta sunt audiuit, pueris nõdum exalbatis, vltra quam dici queat, gaudio perfusa, cuidam de pueris suis, vade inquit, nuncia domino meo Episcopo, quia ipsum, & filios meos videre venio. Erat enim magnæ honestatis & potentia in ciuitate illa. Episcopus ergo audiens illam aduenire de subrecto exiens in graminis cespite sub diuo confedit, suosq; regeneratos adhuc in albis positos, circumfidentibus clericis, ad pedes suos collocavit. Sed vbi matrem eminus aduenientem conspiciunt, modestè confurgentes, & Episcopo inclinantes, quod aduertere pulchrum fuit, quasi petita licentia obuam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudij quasi amens & stupida, soluta in lachrymas subito in terram corruit. Accurrit Episcopus, accurrunt clerici, leuant, tenent, consolantur: putabant enim quod nimietate doloris defecisset, at illa recuperato flatu, benedico, inquit, te Domine Iesu Christe, totius spei & consolationis auctor, quod filios meos tuis Sacramentis imbutos, tuæq; fidei veritate aspicio illustratos

Ecc

stratos

stratos. Scis enim Domine Iesu Christe quod hos (te-
nensque osculata pueros & amplexata) in secreto pecto-
ris meitua miserationi iam per multos annos commen-
dare non cessavi, petens ut hoc eis faceres quod fecisti.

Deinde ad Episcopum, Benedictus, inquit, introitus
tuus in hanc civitatem, domine & pater reuerendissime:
multum enim populum tua perseverantia domino hic
habet acquirere. Non te fatiget dilatio. En ego ipsa quæ
coram teasto, Dei omnipotentis adiutorio, & tui, pater,
animata presentia, sed & pignorum meorum freta sub-
sidio, Christianam me conuicteor: quod hætenus non au-
debam.

JIVX

Sicut enim protestata est, in diebus adolescentiæ suæ,
de terra Christianorum ablata fuit: & cum esset ingenua
& speciosa, gentili hominum marito suo diuiti ac præpo-
tenti hero copulata est, & eisdem filios ex eo suscepit.
Episcopus ergo super his omnibus Deum benedicens,
confitenti matronæ verbo confortationis fidem auxit &
fiduciam, suæq; liberalitatis nõ immemor, griseæ pelliculæ
chlamidem preciosam ei dedit, & eadem petente atq; cum
fiducia iam euangelizante, omnes eius domesticos aqua
tinxit regenerationis; deinde etiam omnes conuicinos
eius ac familiares viros ac fœminas cum paruulis suis ea-
dem socieras inuoluit. Pueros quoque ipsos post exple-
tos octo dies, in die depositionis albarum, duabus camisijs
de subtili panno vestiuit, & easdem camisias aurifrigio in
ora capiti & sutura humerali atque brachiali ornari eis fe-
cit, duosque cingulos aureos tradens & calciameta pictu-
rata, verboque doctrinæ & Sacramento Eucharistiæ &
Communionis cum gaudio in matris domum remisit. Ita
miris modis aurum suum & donaria OTTO beatissimus
expendit,

*l. capitis vel
capitij.*

expedit. Vt enim salui essent homines precio cōduxit, verbo instruxit, rudēsque alumnos, & spiritualibus documētis in formabat, & corporalibus beneficijs conciliabat. Sed quanto scēnore donaria sua in thesauros domini sui aliquotiens congesserit, hoc proximo poterit aduerti cloquio.

QUOMODO PVERI REVER-
sicoanis et conciuibus de pietate & li-
beralitate Episcopi pradica-
uerunt.

RÆfati etenim pueri cum ad suos co-
dolescentes peruenissent, & quomodo ab Epi-
scopo habiti & instructi essent, quanta esset apud illum disciplina & honestas, quanta pietas & mansuetudo nunciare cœperunt, mox etiam quantæ munificentiæ ac liberalitatis circa omnes existeret, prædicare obliti non sunt: atque in argumentum rei, cernite, inquit, his indumētis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis eingulis honorauit. Pecunia sua captiuos redimit, suis impensis eosdem vestit, cibus reficit, & liberos abire permittit, quid vnquam simile visum auditumue est in terra POMMERANORVM: quid simile nostri pontifices & sacerdotes faciunt? Nunc certe aliquem visibilem DEVM inter homines aduenisse ipsa gratuita redemptio captiuorum, in cippis & compedibus putrefactorum, multos ciues nostros fecerat autumare: sed ille hoc negans, non DEVM se, sed DEI altissimum seruum pro nostra salute ad nos directum, dici & credi optat; & animæ immortali-

Ecc 2

mortali-

mortalitatem, & corporum resurrectionem, & æternæ vitæ gloriam doctrinam dicit esse Christianorum. Quare non credatur ei? Hæc & his similia pagana iuuentus à iuuenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est, & attracta per eosdem in eundem fidei feruorem; reuersiq; ad Episcopum, gregem non modicum adduxere, Euangelium rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Catechizantur, baptizantur; & à pueris & iuuenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri, flammaq; fidei paulatim progrediente concaluit ciuitas vniuersa: neq; iam occulte vel pauci, sed publice ac multi simul cotidie veniebant ad fidem. Interea præfata coniunx matronæ & pater primitiuorum in via domi absens ubi audiuit, quod vxor & filij totaq; domus eius projecto paganismo, ritu viueret Christiano, mori voluit præ dolore. sed vxor prouida cognatos eius & amicos, qui malagma ei consolationis apponerent, obviam direxit ægroto; ipsa vero domi pro illius conuersione preces domino & vota non irrita offerre non cessauit. Itaq; reuersus ille cum non solum domesticos suos, verum & alios vicinos, & conciuos suos, veterem hominem exutos, in nouitate vitæ conspiceret ambulantes, ad conformandum se illis, Deo visitante cor illius, facile inclinatus est.

*QVOMODO POLISLAUS,
Dux Polonorum, literis suis Pommeranos ad fidem accenderit.*

XIX.

DVM ea geruntur in ciuitate, PAULICIVS & legatitam paganorum quam Christianorum, à duce POLONIÆ veniunt, peractis man-

mandatis & scripta tyranni secundum hæc verba reportantes.

POLISLAVS omnipotentis Dei fauente clementia Dux POLONIORVM. hostis omnium paganorum, genti POMMERANICÆ, & populo STETINENSI promissæ fidei sacramenta seruanti, Pacem firmam & longas amicitias, non seruanti vero cædem & incendia & æternas inimicitias.

Si occasiones quærerem aduersum vos, iusta esse poterat indignatio mea, quod quasi fidei vestræ transgressores vos retrorsum abire conspicio, & quod dominum & patrem meum OTTONEM Episcopum, omni honore ac reuerentia dignissimum, vita & fama in omni populo & gente præclarum, vestræ salutis, à Deo vero, & nostro ministerio, destinatum, sicut oportuit nõ suscepistis, neq; hætenus secundum Dei timorem illius doctrinæ obedistis. Omnia hæc vestræ valebant accusationi: sed interpellauere pro vobis responsales & mei & vestri, honorati viri ac prudentes, præcipue autem ipse pontifex, apud vos manens, Euangelista vester & Apostolus, horum ergo consilio ac petitioni acquiescere dignum iudicans, seruitutis ac tributis pondus, vt iugum Christi eo alacriores suscipiatis, hoc modo releuare decreui. Tota terra POMMERANORVM ducis POLONIÆ, quicumq; sint illi, trecentas tantum argenti marcas publici ponderis annis singulis persoluant. si bellum ingruerit ei, hoc modo eum iuuabunt. Nouem patres familias, decimum in expeditionem armis & impensis abundè procurabunt, & eiusdem familiæ interim domi fideliter prouidebunt. Ista seruantes & fidei Christianæ consentientes nostram pacem porrectione pacis & manus, & æternæ vitæ gaudium consequemini, & in omnibus oportunitatibus vestris præsidia semper & auxilia POLONENSIVM, tanquam socij & amici experiemini. Igitur habita concione,

Ecc 3

vbi

vbi coram populo & principibus verba hæc recitata sunt,
 multo quàm dum apud NADAM armis subacti sunt, lætio-
 res, pacti sacramenta deuotè suscipientes, remota omni
 controuersia, Euangelicis traditionibus se submiserunt.
 Episcopus ergo arrepto tempore pulpiti conscendens,
 Nunc, ait, ad nostri sermonis officium ventum est. Et inci-
 piens: Gaudete in domino semper, iterum dico, gaudete,
 modestia vestra, fides & conuersio vestra nota sit omnibus,
 nota sit omni mundo. Nam totus mundus pro vestra doluit
 infidelitate. Totus enim mundus, fratres charissimi,
 vsq; ad hunc terræ vestræ angulum, lumen veritatis agno-
 scit, & vos in tenebris remanere voluistis. Pudeat & peni-
 teat vos, creatorem vestrum hætenus vos non agnouisse.
 Nunc ergo tanto deuotius, quanto serius ad ipsum con-
 uertimini, currite, festinate vt eos qui vos in fide præcesse-
 runt, consequamini; hoc agere solliciti, vt qui de vestra cæ-
 citate piè doluerunt, de vestra illuminatione possint in
 Christo gloriari. Et primo ipsis deceptionibus, dijs vestris,
 surdis & mutis, sculptilibus, & immundis spiritibus qui in
 eis sunt, signo CRVCIS armati, quanto citius renunciate,
 sana diruite, simulachra conuertite, vt hostibus eius eie-
 ctis à vobis dominus Deus vester Deus viuus & verus in
 medio vestri habitare dignetur. Nisi omnes enim alios
 deos abijciatis, ipsum habere propitium non potestis. fugit
 enim & indignum sibi reputat aliorum Deorum consortiū;
 & nulla communicatio templo eius eum idolis. Sed scio
 quia nondum satis confiditis, scio quod timetis dæmo-
 nes, inhabitatores sanorum & sculptilium vestrorum; & id-
 circo non audetis ea comminuere. Sed pax vestra sit, vt
 ego ipse confratribus meis sacerdotibus & clericis simula-
 chra & concinas aggrediar; & si nos CRVCIS sanctæ signa-
 culo præmunitos illæfos permanere videtis, eodem CRV-
 CIS

Phil. 4.

cis muniti trophæo vos omnes nobiscum in securi & ascia excisianuis & parietibus deijcite illas & incendite.

QUOMODO IDOLA
illorum confregerit.



XX. **Q**UOD cum audissent & annuissent, Episcopus & sacerdotes celebrata Missa & accepta communionione, armati securibus & sarpis concinas aggrediuntur, & fana comminuentes & excidentes omnia scandentes tecta & conuellent. Stabant autem ciues, aspicientes, quid dii facerent miserimi, vtrum nam tecta sua defenderent, nec ne. At vbi de structoribus nihil mali euenire vident, Si inquirunt, aliquid diuinæ virtutis habent isti, quorum sacra & templa conuellantur, utiq; defenderent se. Si autem defendere se aut sibi prodesse non valent, quomodo nos defendere vel nobis prodesse poterunt? Et hæc dicentes, facto impetu diruunt & comminuunt omnia, ipsamq; lignorum materiam inter se diripientes, ad domos suas in vsum foci coquendis panibus & cibis comportabant. & quia plus habere fas erat, omnes illæ* concurræ numero quatuor mira celeritate contractæ sunt ac direptæ. Ne fortè vero minus pateat legentibus, quid significant, vel vnde dicantur concinæ, sciendum,

alibi vocat concinæ.

quod sclauica lingua * in plerisque dictionibus latininitatem attingit & idè concinere concinas antiquitus dictum esse putamus.



DE

DE IDOLO TRICIPITI
destrueto.

XXI.



RANT autem in ciuitate STETINENSI concina quatuor, sed vna, quæ ex his principalis erat, mirabili cultu & artificio constructa fuit interius & exterius sculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum & volucrum & bestiarum tam propriè suis habitudinibus expressas, vt spirare putarentur ac viuere; quodque rarum dixerim, colores imaginum extrinsecus nulla tempestate niuium vel imbrum fuscari vel dilui poterant, id agente industria pictorum. In hanc ædem, ex prisca patrum consuetudine captas opes & arma hostium, & quidquid ex præda nauali vel terrestri pugna quæsitum erat, sub lege decimationis congregabant, crateres etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari epulari & potare nobiles solebant ac potentes, in diebus solennitatum, quasi de sanctuario proferendos, ibi collocauerunt, cornua etiam grandia taurorum agrestium deaurata & gemmis intexta, potibus apta, & cornua cantibus apta, mucrones, & cultros, multamque suppellectilem preciosam, raram & visu pulchram, in ornatum & honorem Deorum suorum ibi conseruabant, quæ omnia Episcopo & Sacerdotibus, vbi fanum dirutum fuerat, danda censebant. Sed ille, Absit à me inquit, vt à vobis ditemur, nam talia & his meliora domi nobis abundant: vos ea potius quorum sunt in vestros vsus cum Dei benedictione distribuite. Et aqua benedicta omnia conspergens, & sanctæ CRVCIS super ea benedictione facta, iussit, vt inter se illa diuideret. Erat autem ibi simulachrum triceps quod in vno corpore tria capita habens, TRIGLAUS vocabatur: quod solum accipiens ipsa capitella sibi coherentia

herentia, corpore comminuto, secum inde quasi pro trophæo asportauit, & postea Romam pro argumento conuersionis illorum transmisiit, scilicet ad videndum domino Apostolico & vniuersali Ecclesie, quid ipse illius obedientiarum vellendo & plantando, ædificando & destruendo, apud gentem illam profecisset. Tres vero aliarum concinarum minus venerationis habebant, minusque ornatae fuerant: Sedilia tantum intus in circuitu extructa erant, & mensæ: quia ibi conciliabula & conuentus suos habere soliti erant. Nam siue potare, siue ludere, siue seria sua tractare vellent, in easdem ædes certis diebus veniebant & horis. Erat præterea ibi quercus ingens & frondosa & fons subter ea amœnissimus, quam plebs simplex numinis alicuius inhabitatione sacram æstimas, magna veneratione colebat. Hæc etiam Episcopus cum post destructas cœcinas incidere vellet rogatus est à populo ne faceret. Promittebant enim se nunquam vltius sub nomine religionis nec arborem illam colituros nec locum; sed solius umbræ atque amœnitatis gratia, quia hoc peccatum non sit, saluare illam potius quam saluari ab illa se velle. Qua suscepta promissione, Acquiesco, inquit Episcopus de arbore: sed illum vnum, numen vnum sortium vestrarum de medio tolli oportet: quia nec augurium, nec sortilegium exercere Christianis licet.

DE SORTILEGIIS ET AV-
gurijs penitus abrais.



HABEBANT enim caballum miræ magnitudinis & pinguem, nigri coloris, & acrem valde. Iste toto anni tempore vacabat, tantæque fuit sanctitatis, vt nullum dignaretur sessorem; habuitque vnum

XXII.

Fff

de

de quatuor Sacerdotibus, templorum custodem diligentissimum. Quando ergo itinere terrestri contra hostes aut prædatum ire cogitabant, euentum rei hoc modo solebant prædiscere. Hastæ nouem disponebantur humo, spacio vnus cubiti ab inuicem separatæ. Strato ergo caballo atque frenato, Sacerdos ad quem pertinebat custodia illius, tentum freno per iacentes hastas transuersum ducebat ter, atque reducebat. Quod si pedibus inoffensis, hastisq; indisturbatis, equus transibat, signum habere prosperitatis, & securi pergebant; sin autem, quiescebant. Hoc ergo genus sortium aliasq; ligneas calculationes, in quibus naualis pugnae vel prædæ considerabant auguria, quamuis multum reuuentibus aliquibus, Deitadem auxilio, penitus abasit, ipsūq; profani Vaticinij caballum, ne simplicibus esset laqueus offensionis, in aliam terram vendi præcepit, asserens hunc magis quadrigis quam prophetijs idoneum, cumq; omnes superstitiones & enormitates suas, Episcopo docente abiicissent, monuit etiam, vt omnes Christianos fratres suos reputantes, nec venderent, nec interficerent, nec prædas ex eis tollerent, sed fraternæ ac socialiter se cum omnibus gererent, eademq; ab illis mutuo sperarent. Et quod immanitate crudelius erat, scæmineos partus necare, ne vltra fierent mulieres * collaudaræ monebat. Nam vsque ad hæc tempora, si plures filias aliquæ genuissent, vt certis facilius prouiderent, aliquas ex eis iugulabant, pro nihilo ducentes parricidium.

DE SACERDOTE IDOLORUM MORTUO.

XXIII.



MUNDATA igitur ciuitate ab immanitate scelerum & spurcitarum, abdicata etiam coniugum pluralitate, adiuuantibus & coeuangelizantibus

busillis qui ante vniuersalem populi consensum fidē priuatim acceperāt, sunt catechismi per vicos & capita platearum, tuba insonat Euangelij, CRUCES eriguntur, crucifixus adoratur, omnis ætas, omnis lingua Christum nominat, ruminat, verbaq; fidei aut discunt omnes aut docent, In tam ingenti autem ciuitate, quæ nongentos patresfamilias absque paruulis & mulieribus, & reliqua multitudine numeratos habebat, non est inuenta persona quæ post generalem consensum Euangelij, veritati se subtrahere niteretur, nisi tantum ille Sacerdos qui præfati caballi curam susceperat. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret Episcopum, & bono semini zizania superiaceret, die quadam cum multa prece ab omnibus rogatus, & ab Episcopo multis rationibus superatus, ex obstinatione nullo modo vellet acquiescere veritati, nocte ipsa diuina ultione percussus tumore ventris ac dolore crepuit & mortuus est. Quod factum vniuersæ ciuitati magnum incussit terrorem, omnesq; Christum laudantes, fortem Deum suæq; legis æmulatorem vocitabant.

QVOMODO CATECHIZATOS baptizauit.

DESTRUCTIS ergo fanis alijsq; simulachris, mutato diuinitus Sacerdote, victoria CRUCIS erigitur, construuntur Baptisteria, dolia humo infodiuntur, cortinis velantur, omnibusque religiose ac sancte aptatis, populus per aliquot dies ante catechizatus & instructus, ad aquam regenerationis cum multa grauitate ac disciplina se offerebat, toto corpore balneis prius abluti, & lotis ac mundis vestibus induti, cereos ardentes & albas suas gestantes, & Spiritus sancti accensu desiderio, singuli apud se in cordibus

XXIII.

Psal. 41.

suis cantantes: Tamquam ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. quando veniam & apparebo ante faciem domini? Pater etiam eorum spiritualis feruorem & studia filiorum tacita mente consideras abundantia lætitiæ spiritum excitante, obortisq; præ gaudio lachrymis inter agendum in voce exultationis erupit dicens exhortando, Venite filij, audite me, timorem domini docebo vos; accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Neq; ab re fuit talis in omnes sacerdotis exhortatio: videbat enim quod & alij comites sui cum magnæ admirationis tripudio contuebantur, quodq; ipsi ciues nos contemplari monuerunt, in vultibus scilicet omnium baptizatorum quendam iucundum & spiritualis gratiæ rutilare fulgorem, ita vt baptizati à non baptizatis, veluti lux à tenebris, facile discerni possent; quidè tenebrosus dæmon suis cultoribus, & quid Deus lucis auctor & amator suis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebāt ergo de ipsa ciuitate & de omni circum prouincia felices animæ, ad regales nuptias ingredi cupientes, & Episcopo seorsum tingente solos mares pueros, alijs autem, atq; alijs sacerdotibus seorsum viros, & seorsum mulieres, apud omnes opera Dei seruabant, & de

Psal. 33.

Ægyptia seruitute populo acquisitionis transito mari liberato, velut olim ad montem Sinai lex panditur Euangelij; & quid Christianis fugiendum, sequendumue sicut fide plena docentur, sic & plena intentione discunt, & facere ardent. Manserunt autem in eodem loco negotiosi operatores fere alijs tribus mēribus destruētes & ædificantes & euellētes, plantantes & plantata irrigantes, ipso agro dominico suis cultoribus grata & gratuita fecunditate victū præbente necessarium. In omnibus enim victui eorum compe-

Jerem. 1.

petentibus liberales eis existerunt & humani, optantes, ut si fieri posset, ut nunquam à se diuelleretur. Ordinatis illic autem omnibus quæ rudi Ecclesiæ profutura credebantur, exstructaq; basilica diligenti cura in medio foro STETINENSI, collatisq; omnibus quæ sacerdotalis officij ratio postebat, qui populo præesset, sicut ubique faciebat, sacerdotem inuestiri curauit.

QVOMODO AD VILINAM
transierit.

SILMENSES autem, Episcopo ignorante, quoddam homines cautos & gnaros STETINAM miserant, exploraturi tacite, quid nam illic ageretur, si Episcopus ab eis reciperetur, an non; & qui omnes vias & studia Episcopi discerent atq; referrent. At illi ubi habita exploratione diligentissime nil imposturæ aut doli circa Euangelizantes inuenerunt, & STETINENSES, licet tarde, fidem tamen vnanimiter suscepisse viderunt; reuersi ad suos, in ore Apostolorum vel Euangelistarum, pagani, paganis istis absentibus, quanta bona vidissent & audissent, & quam bona, & quam munda esset fides & doctrina Christiana, prædicare non cessabant; eorumq; verbis paulatim scintillatibus, quasi arundine tota ciuitas incanduit, & iam tædere atq; horrere super suis abominationibus, suaq; idola & errores quibus inuoluti tenebantur execrari cœperunt. Episcopus autem tenorem pacti quo ab eis recesserat, mente habens, cogitabat quidem statim post conuersionem STETINÆ ad eos properare: sed rogatus est duo prius inuisere castella, GRATICIMA videlicet & LVBINVM quæ in confinio posita ad pagum pertinebant STETINENSEM. At ubi homines illi, velut a-

XXV.

rida imbrem sitiens verba Euangelij suscipientes, fidei sacramentis imbuti sunt, extructo altari & sanctificato per castellum vtrumq; atq; ordinatis illic sacerdotibus, per *ODORAM* flumen in mare lapsi vento meliori ad *VILINÆ* litora nauigauerunt. Quanto autem exultationis tripudio illic recepti fuerint, & quanta humilitate illorum & satisfactione priores iniurias obliuisci Episcopum rogauerunt, non potest explicari sermone. Quidquid autem suscipiendi Christianismi ratio exigebat, discere & facere, assumere vel reijcere, nō morabantur, ita vt illic impleretur quod scriptum est: Dominus dixit & facta sunt. Populus quem non cognoui seruiunt mihi in auditu auris obediunt mihi. Nam quos prius contis & fustibus à suis terminis satis inclementer exturbauerant, postmodum quasi angelos de caelo venientes summo studio venerati sunt, sanctum arbitantes atque diuinum, quidquid ab eis dictum vel factū est. Sed quid plura? tota ciuitas & prouincia cum populo suo apposta est ad Deum, tantaq; fuit multitudo virorum & mulierum, & vtriusq; sexus puerorum, vt in spatio duorum mensium, quamuis sine cessatione ageretur opus, vix omnes tingi potuissent. Quantum & illic sudoris & laboris sanctæ semper memorię *OTTO* loquendo & clamando in turba, baptizando, & faciendo multa, pertulerit, qui videt omnia, considerat Deus. Sed quia ciuitas hæc in meditullio sita est *POMMORANIÆ* ciuesque *VILINENSES* fortes & duræ cernicis sunt, tam Dux *Vrocizlaus* quam princeps terræ sedem Episcopatus fore censuerunt, scilicet vt gens aspera ex iugi doctoris præsentia mansuesceret, nec ad pristinos rediret errores; & de medio ad omnes terræ terminos *Chrisma* & alia quæ ab Episcopo accipienda sunt, facilius deportari possent. Itaq; duas illic basilicas fieri præcipiens, altaria tantum, & sanctuaria sanctificauit;

quia

qua reliqua pars interim conseruebat & perfectionem
expectare longum erat ad alia festinanti.

QVO MODO A IVLINA

Clonodam venit.

MOVENTES AUTEM A IVLINA CLONODAM XXVI.

DAM venerunt, nihilq; difficultatis aut contra-
dictionis illic inuenientes sanctæ CRVCIS tro-
phæum ibi erexerunt, & quia locus nemorosus
erat, & amœnus & ligna ad ædificandum suppetebant, in
honore sanctæ CRVCIS ingentem Ecclesiam de nobili æ-
dificio fundauerunt, & cum lætitia & gaudio populum
catechizantes & baptizantes, quia messis multa erat, ad
vltiora progredi festinauerunt. Transito autem flu-
mine qui CLONODAM præterlabitur, ciuitatem quandam
inuenērūt magnam quidem ambitu & spaciosam, sed ra-
ros incolas. Nam ferro & incendio se vastatam adustionum
signis & cadauerum aceruis, spectantibus indicabat. Ipsi
autem tenues incolæ illorum se fuisse clientulos qui à du-
ce POLONIE illic interfecti erāt, & captiuati, asserabant &
à facie gladij saluatōs se fugæ præsidio. refecerant autem
ex ramis & virgultis circa ruinas parietum tuguria & um-
bracula, quibus tegebantur, quousq; recta meliora instau-
rarēt. Hos pater optimus verbis consolans & stipe rele-
uans benignissime instruxit & baptizauit. Multi etiā
de viculis circumpositis ruriculæ illic consue-
res fidei perceperē sacramenta.

QVO

QUOMODO A CLODONA
Colobregam intrauerit.

XXVII.



INDE COLOBREGAM peruenerunt, quæ super litus maris sita est. Sed quia ciues illius pæne omnes more institorum ad exterâs insulas causanegotiandi nauigauerant, illi, qui domi reperti sunt, absentibus suis conciuibus, nihil se noui aggressuros dicebant. Hacq; sub occasione aliquandiu restiterunt euangelio. Tandem exhortationibus crebris ab Episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eisdem in fide sanctæ Trinitatis & Baptismo renatis & fundato altari & sanctuario, cæterisq; quæ nascenti Ecclesiæ utilia credebantur ordine peractis, dici vnus itinere distantem à COLOBREGA BELGRADIAM petens, simili operum effectu illic lætificatus est, omnibus se domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse commissis quatuor quæ supererant ciuitatibus cum pagis viculis & insulis suos, VNXNOIMIA videlicet, HOLOGOSTA, GOZANGIA, EIMINA, quia tempus eum reuocabat, hyems quippe erat, id quod plantauerat interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum suum, & non etiam excolendo, in vacuum curreret, aut cucurrisset; quin etiam si vltius procederet, ante diem palmarum sicut disposuerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minimè potuisset.

QUOMODO DETINERE ILLUM
ac Episcopum habere voluerint.

XXVIII.



DISCRETVS ergo pontifex apud BELGRADIAM terminum ponens Euangelij, omnia loca & ciuitates superius nominatas, in quibus semina fidei

fidei sparserat fidelis agricola denuò perlustravit, cogniturus, quomodo se habent sata, & ecce omnes quas imperfectas dimiserat basilicas & Ecclesias, perfectas invenit. Ad opus ergo dedicationis devotus & lætus accingitur, atq; intra deducendum Chrismatis vntione populum confirmas, etiam quam plurimos invenit baptizandos, qui generali baptismo prius interesse non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinati negotia sua exercerent, quorum profecto CLODONÆ, IVLINÆ, STETINÆ, maxima erat copia. Mira quippe aviditate, audito quod Episcopus ab eis discedere vellet ad eum confluerunt, infelices se reputantes, quibus sine illius benedictione remanere contingeret. Quæ res in singulis locis aliquandiu eis remorandi causa fuit. Nullam autem civitatem aut locum plantationis suæ relinquere voluit quam nõ semel aut sæpius ante exitum de terra confortationis aut cõsolationis causa reuideret. Talibus ergo visitationibus regione peragrata, consolando, confirmando, atque salutando amicos, paternos, & filiolos suos, in pacis osculo dimisit eos & dimissus est lachrymis & gemitibus dituulsiõis dolorem vtrinque temperantes. Et ut veritas proferatur, multotiens toto conamine eos iugiter apud se retinere moliti, dñ. Episcopum, ut Episcopatum ibi gubernaret, ardentissimè rogabant: se ipsos & omnia sua illius ditioni seruire pollicentes. Et ut verum fateamur tanto amore suæ plantationis flagrabat Episcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet, sed à clericis suis dissuasus est.

Ggg

DE

DE S. OTTONE
DE NATURA POMORANIAE

Et quomodo ad ducem Polonia à Pome-
rania rediens venerit, Et ab eo tam
ipse quam sui donati
sunt.

XXVIII.

ma. f. redentis.

ROSSENT etiam in his locis non importunè esse
cœnobia, & maximè huius temporis sancto-
rum, qui terram vberem quam scopulos aridos
vel lqualentem eremum incolere malunt, suæ memo-
res imbecillitatis. Nam piscium illic tam ex mari quam
ex aquis & lacubus & stagnis abundantia est incredibilis,
carratamq; pro denario * recenter accipiens halcis, fe-
rinæ, ceruorum, bubalorum, & equulorum agrestium,
vrsorum, & aprorum, porcorum omniumq; ferarum co-
pia redundat omnis prouincia butyrum de armêto, & lac
de ouibus cum adipe agnorum & arietum, cum abundan-
tia mellis & tritici, cum canopo & papauere & cuncti ge-
neris legumine: atque si vitem & oleam & ficum habe-
ret, terram putares esse repromissionis, propter abundan-
tiam fructiferorum. Sed Episcopus vitem attulit & im-
plantari fecit vt tellus ea vel sacrificio vinum procrearet.
Tanta ergò fides & societas est inter eos, vt furthorum &
fraudum penitus in experti, cistas aut scrinia non habe-
ant serata. Nam seram vel clauem ibi non viderunt, sed
ipsi admodum mirati sunt quod clitellas Episcopi &
scrinia Episcopi serata viderunt. Vestes suas pecuni-
am & omnia preciosa suâ in cuppis & dolijs suis simplici-
ter coopertis recondunt, fraudem non metuentes vt pote
in experti. Et quod mirum dictu, mensa eorum nunquam
disarma-

disarmatur, nunquā deferculatur, sed quilibet pater familias domum habet seorsum mundam & honestam, tantum refectio*n*i vacantem; illic mensa cum omnibus quæ bibi ac mandari possunt, nunquam vacuatur, sed alijs allumptis alia subrogantur; non forex non forilegus admittitur, sed de mappa mundissima fercula teguntur commesturos expectantia. Quacunque igitur hora reficere placuerit, hospites sint, domestici sint, omnia parata inveniunt intromissi ad mensam. Et de his satis dictum est.

Reuertentes autem de terra illa transitum fecerunt per patrem eorum ducem POLONIÆ. Retribuat illi dominus Iesus in die agnitionis suæ, omnia bona ostendit omnibus. Nam tantæ affectionis tantæq; benignitatis circa eos existit, ut etiam in POMMERANIA positis hyemis tempore vir ille optimus vestes eis mitteret hyemales, Episcopo, & unicuiq; secundum suam personam idoneam tam clericis quam militibus siue scutiferis omnibus. Tunc ergo consummatis his ad quæ eos vocauerat ipse ad se reuersos omnes ipsos ut filios charissimos excipiens, Episcopum cæterosq; congruis honoribus habitos nullum dimisit indenatum. Denique festinantes vidit cum multa gratiarum actione dimissos vsque in BOEMIAM eos fecit conduci. Episcopus vero propter festinationem de Episcopatu POMMERANIÆ pro voto suo tunc ordinare non potuit, sed de prudētia ducis confusus ei ex otio commisit ordinandum. At ille vnum de capellanis suis ADALBERTVM nomine, quem de latere suo cum alijs duobus sacerdotibus in adiutorium, concesserat Episcopo, Præsulatus honore in gente illa sublinavit. Itaq; iuxta propositum suum ante diem palmarum ad sedem suam sanctus OTTO reuersus est.

Ggg 2

INCL

INCIPIT LIBER Tertius.

QUOMODO POST QUADRIENNIIUM plantationem suam reuiferit.

I.



POST hinc triennio domi detentus post quadriennium, quamuis multis domi teneretur negotijs, ipse tamē amore nouellæ colonix suæ flagrans, omnibus postpositis illam reuifere adgreditur. Sed ne forte grauaret, per quos dādum transierat, Ducem B O H E M I Æ vel Ducem P O L O N I Æ, alio suē illius viæ hospites & amicos suos, per S A X O N I A M iter disposuit, & apud Hallam naues victualibus onerans per A L B A M flumen in H A B A L A M perlapsus L E V T I C I Æ littora vsq; adductus est. Et ne inanis & vacuus adueniens sponsæ suæ vilesceret, neue ij qui adhuc conuertendi erant, si modo cum sumptu poneret qui prius sine sumptu posuerat euāgelium, contra se murmurarēt, in auri, & argenti copia, in purpura, & bysso, & pannis preciosis & muneribus magnis & varijs pro varietate personarum, diues studuit aduenire, eunq; H A L L Æ cōempta & nauigio vsq; in L E V T I C I A M portata curribus & quadrigis quinquaginta cum annona imponens ibi per terram L E V T I C I Æ vsq; T I M I N A M ciuitatem P O M M E R A N I Æ transportauit. Quo vbi cum labore ac fatigatione ventum esset, multos horrores & paures illa nocte ibi sustinuerunt. Nam ciuitas illa, Dei adhuc ignara,

ignara, cruda quodammodo & barbara fuit Christianis, & ij ignoti ad ignotos venerunt. Solum tamen urbis praefectum in priori peregrinatione cognitum habentes, ipsum de hospicio conuenerunt: sed ille amicè eos suscipiens & alios quoque se hospites habiturum dicens, arcem iuxta ciuitatem in veteri castello eorum mansioni designauit, in qua fixis tentorijs se quieturos sperantes vanis terroribus tota illa nocte agitabantur.

QUOMODO TIMINAM
uenerit.



AM Dux POMMORANIAE populo laturus LEVTICIAM cum exercitu eadem nocte illò venturus erat: Timinenses aut Leuticios audierant ad pugnam ibi ei occuros. Vnde nò modica trepidatio fuit in ciuitate. ingruente igitur noctis silentio, exercitus ducis per turmas suas illuc confluit, factumque est, vt vna cohors peditum, & altera cohors equitum ex diuerso iuxta ciuitatem conuenientes, quia nox erat, vtrique se hostes suspicati, diutissime gladijs caderent. Nostri vero strepitu ac tinnitu armorum excitati & exterriti, ignem in castris aqua perfuderunt, fugam meditantibus. Interea socios se agnoscentes, illi à pugna deserunt. Praefectus vero misso satelite eausam illius tumultus eis insinuans, ne timerent rogauit; sicque animati constiterunt in loco suo. facto mane Dux cum exercitu omni ad praedam festinans, Episcopum videre non potuit; sed missis nuncijs ibidem illum die illa rogauit se exspectare. Circa meridiem vero LEVTICIAM quaqua
Ggg 3 ver-

II.

versum fumigare aspexerunt; signum omnia vastantis exercitus. Ad vesperum autem ecce Dux voti compos multa onustus præda cum suis omnibus & incolumis reuertitur. Aspiciebat namque Episcopus quia diuidebatur spolia, vestes, pecuniam, pecora & aliam diuersi generis substantiam, homines quoque quos captiuauerant, inter se distribuere. Ibi vero fletus & gemitus & dolores innumeri, cum ad diuersos duos pro ratione diuisionis vir ab vxore, & vxor à viro, & parentes à filijs discedebant. Et quamuis pagani omnes essent, omnes quos huiusmodi miseria inuoluerat, Episcopus tamen pius semper & misericors, conditionem miseratus humanam, lacrymas tenere non potuit. Dux vero & successu rerum & de aduentu Episcopi lætissimus videns quia hoc eius voto placuit, teneriores, & infirmiores quosdam absolui præcepit, & quibus seperatio dolori, manere simul, eius interuentu, ordinabat, auditoque multis faciebat, & libenter ei obaudiebat. Episcopus etiam multos precio absoluit, quos tamen fide imbutos baptismoque nouauit renatos & liberos abire permisit. Deinde cum mutuis colloquijs se recreassent & inuicem muneribus honorassent, Duce ad sua negotia digresso Episcopus omnem substantiam suam & populi qui secum erat, TIMINÆ nauibus imponens per prona fluminis unda tribus diebus UNZNOIMIAM uenti sunt, Episcopo in itinere terrestri cum paucis gradente, in ora hac Euangelico vomere agrum domini sui proscindens, semen spargit fidei, neque ibi difficultas erat in opere: quia ciuitas illa præcompleta fuerat ambrosodoctrinæ salutari. Sacerdotes enim quos pater beatus operis sui vicarios in gente illa reliquerat UNZNOIMIAM ex magna parte conuerterant: reliqua pars per Episcopum apposita est ad domi-

num.

quo.

QVOMODO A TIMINA
VNZNOIMIAM veniens per
Frozilaum Ducem Apo-
stasia eos argu-
erit.

TGITVR in hac ciuitate, quia prope
fuit festum Aduentus spiritus sancti, Dux
terrae FROZILAVS toto corde Christiano in-
finitu Ottonis baronibus ac capitaneis totius prouinciae
ac praefectis ciuitatum in festo Pentecostes conuentu in-
dixit, causam simul Christi mandans Euangelium & Euā-
gelistam iterum aduenisse Ottonem Episcopum. Itaque die
statuto congregatis omnibus, adducto in medium Episco-
po Dux ait, En ad quod venistis? En coram est nuncius al-
tissimi. Pacem fert non arma, neque vestra sibi, sed vosmet-
ipsum Deo lucrari quaerit. Attendite oro. Ante hoc qua-
driennium in superioribus huius terrae partibus docens, me
teste, nostis quoque & ipsi, omnia repleuit Euangelio. Et
tunc quidem has partes visitare volebat, sed Deo prospere
negotia sua toto anno illo sanctis operibus illic tene-
batur occupatus, emensoque anno ad sua reuerti suae se-
dis rationibus cogebatur, nec ad vos venire praualuit. Sed
quaeso vna mecum & huius & illius viam causas diligenter aduer-
tite, quodque in omni causa fieri solet, quis, vel quare, quid,
vel quomodo agat, altius contempleremur. Et primo de per-
sona id vobis constat, quia homo religiosus senio & canicie
venerabilis est. Hoc n. & ipsi videtis de cuius nobilitate o-
pera testan-

III.

testantur, & virtutes, & alta, vt fida relatione didicimus, auorum & pro auorū eius linea natiuitatis. Porro si dignitatem quærimus præfulari fulget officio & vniuersis Teytonici regni principibus speculum est & lucerna. Imperatori quoque Romano & Apostolicæ sedis pontifici gratus valde est & vnicè familiaris, in auro quoq; & argento, in ministerialibus, & feudatis, in agris, & possessionibus, & quæcunq; hic mundus preciosa vocat, dominum diuitem nouimus & gloriosum. Nunc etiam opulentus venit vestræ saluti ministraturus, nec aliunde quàm de suis sumptibus apud vos viuere propositum habens. Sed rogo quid intendit, vt quid tantæ viæ laborem aggressus, nec proprio corpori nec sumptibus parcit? sed vt breuiter dicam, sicut & pridem, nihil aliud quærit, nisi vos omnes separare a Diabolo, & per fidem Catholicam iungere domino Iesu Christo. Sed quo nam modo? non fraudulenter non violenter, non lucralicuius terreni, sed vestræ tantum salutis gratia, & Dei honoris benignitate. Et nunc quidem nihil iustæ excusationis à vobis inueniri poterit, super hoc tali vero quo minus eum audire debeatis. Neque enim is est cui necem aut patibulum, ob circumventionis vel imposturæ culpam intentare conueniat, vel alterius generis iniurias, quemadmodum & pauperibus Christi prædicatoribus paulò ante fecistis, suspicati, dolo, & fraude, quæstusue gratia nudos homines & inopes rerum, loqui verbum Dei. Sed illi quidem plagis & verberibus pro veritate subacti à vestris finibus abscesserunt, vos autem huc vsq; in infidelitate perstitistis. Pudeat iã & pœniteat vos longi erroris & ignoratię, & qui nolulistis audire mendicos Euangelistas, audite opulentos. Dixistis namque & subamodo blasphematis, quia Deus Christianorum vilior esset omaibus dijs atq; inferior, q̄ suæ doctrine ministros

ministros habere non posset, nisi tantum homines imperi-
 tos & rusticos, mendicanti, egestatique addictos. Et vos
 quidem in insania vestra hæc dixistis: ille vero pius, & mi-
 sericors, & præstabilis super malitia, quasi morem gerens
 insipientiæ vestræ, de imperitia, vel rusticitate, de impe-
 rio etiam mendicantis legati, omnem vobis abstulit excu-
 sationem. Superest modò, vt nos qui primi & maiores
 dicimur ac sumus, vestræ dignitati consulamus, tam dig-
 nissimæ ac sanctissimæ rei consentientes, vt populus qui
 nobis subiectus est, nostro possit erudiri exemplo. Quic-
 quid autem religionis, vel honestatis secundum DEVM
 vel homines aggrediendum est, iustius atque decentius
 autumo, vt à capite hoc in membra, quàm vt à membris
 deriuetur in caput: Et in primitiua quidem Ecclesia, sicut
 audiimus, religio fidei Christianæ à plebe & plebeijs per-
 sonis incipiens ad mediocres progressa, etiam huius maxi-
 mos principes mudi inuoluit: reddamus vicem Ecclesiæ
 primitiæ, vt à nobis principibus incipiens, & vsq; ad me-
 diocres progressa, facili prouentu totum populum & gen-
 tem sanctificatio diuinæ religionis illustret. Sed quid plu-
 ra? Affuit Spiritus sancti gratia, & sermonem Ducis omniũ
 cordibus altius quàm dici queat, inplantauit, omnesq; pa-
 ri voto pari consensu faciendum, respondent, quidq; d Epi-
 scopus suaderet. Igitur occasione ipsius temporis de adue-
 tu Spiritus sancti, de remissione peccatorum, de varijs cha-
 rismatum donis, de bonitate & clementia diuina, sermo-
 ne mirabili præsul eos alloquens, euangelizauit illis Ie-
 sum. Et quosdam quidem iam dudum Christianos, sed
 errore paganismi denuò inquinatos, præsentis sermone ad
 conpunctionem & validam cordis contritionem emolli-
 tos, cum magno fructu aspicientium, per manus imposi-
 tionem Ecclesiæ reconciliauit, alios autem certatim se

H h offe-

offerentes catechizatos ac pro tempore instructos baptizavit, & totam illam hebdomodam doctrinæ sacrissq; operibus instabat, gaudio ingenti, adeo ut verè Spiritus sancti præsentiam illic adesse certissimè constaret. Itaque concilium hoc non antea solutum est, quam principes ipsi & omnes qui cum eis aduenerant, baptismi Sacramenta percepissent.

DE SACERDOTE IDOLORVM

vice numinis rusticum alloquente.

IV.

RORRO fama facti repente in vniuersam prouinciam diuulgatur, villas & vicos in studia diuersa conscindens, alijs dicentibus, quia bene est: alijs autem dicentibus, Non, sed magis seductio magnates apprehendit. Ipsi vero Sacerdotes idolorum non minima causa huius concisionis erant, appositi eis, quibus displicebat, quod factum fuerat, sua nimirum lucra cessatum iri non ignorantes, si culturæ Dæmonum illic aboleretur, vnde modis omnibus rem præpedire moliti, varia calliditatis suæ argumenta visionibus, somnijs, prodigijs, & varijs terroribus confixerunt. Quin etiam in Hocosta ciuitate quo tunc proximè aduenturus nunciabatur Episcopus, sacerdos qui illic idola ministrabat, nocturno tempore vicinam siluam ingressus, & in loco editiori secus viam inter condensa fruticum sacerdotalibus indutus astabat, & mane summo quædam rusticum de rure ad forum gradientem his alloquitur verbis; Tu inquit, bone homo. At ille respiciens in eam partem, vnde vocem audierat, inter virgulta personam cæcidis indutam, quamuis luce videre coepit & timere. Et ille, Sta, inquit, & accipe

eipe quæ dico. Ego sum Deus tuus ego sum qui vestio & graminibus campos & frondibus nemora & fructus agrorum & lignorum fœtus pecorum, & omnia quæcunq; vñibus hominum seruiunt mea potestate hæc dare soleo cultoribus meis, & his qui me contemnunt auferre. Dic ergo eis qui sunt in ciuitate HOLOGASTENSI, ne suscipiant Deum alienum, qui eis prodesse non possit; mone etiam ut alterius religionis viros, quos ad eos venturos prædico, viuere non patiantur. Hæc vbi ruricolæ Dæmon visibilis edixerat, ad densiora nemora se contulit in posterum: rusticus verò quasi de oraculo stupidus, corruens pronus adorauit in terram Deinde abiens in ciuitatem cœpit annũciare visionem. Quid plura? Credidit populus iterum que atq; iterum circumdantes hominem, eadem sæpius narrare cogebant, moti videlicet monstri nouitate.

Postremò ac si nescius omnium aduenit Sacerdos indignationem simulans, primo quasi de mendacio, deinde attentus audire & obtestari cœpit hominem, ut vera tantum narrans, nullo figmento populum sollicitaret. At ille, ut erat rusticanæ simplicitatis & forti protestatione remota se habere asserens etiam locum ipsius apparitionis se ostensurum pollicetur. Tunc sacerdos conuersus ad populum vane suspirans, En, hoc est, inquit, quod toto anno dicebam. Quid nobis cum alieno Deo? quid nobis cum religione Christianorum? Iuste mouetur & irascitur Deus noster, si post omnia beneficia eius stulti & ingrati ad alium conuertimur. Sed ne iratus occidat nos, illis irascamur & occidamus eos, qui nos seducere veniunt, quod dictum cum placuisset omnibus, firmauerunt decretum ut si Episcopus OTTO vel quispiam de societate eius ciuitatem intraret, sine mora occideretur. Item firmauerunt sibi sermonem nequam scilicet ut si nocte vel clam intrâtes quispiam

testo reciperet, simili sententiæ subiaceret. Et hæc agentes multis opprobrijs & verborum iniurijs religionē Christianorum deridebant blasphemantes.

*QVOMODO NVNCIOS
pramiserit ad HOLOGOSTAM ciui-
tatem.*

V.



INTEREA vero apud VNZNOIMIAM, rebus feliciter consumatis, solutoque cœtu primatum, Dux cum Episcopo remanens, de his quæ post agenda videbantur, & de progressionē, vel quo nam diuenterent, consilium habuit, multaque deuotione studijs Episcopi gratias agens, Ecce, inquit, terra omnis coram te est, securus esto, domine pater, non est qui tibi contradicat, maioribus nam ac principibus omnibus iam fide imbutis. Qua securitate fretus antistes, quasi exemplo domini Iesu Christi binos & binos de discipulis suis præmittebat ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Contigit ergo VDALRICVM & ALBINVM duos presbyteros simul pergentes, HOLOGOSTAM intrare, vbi à matrona quadã, vxore videlicet præfecti sunt hospicio suscepti, atque satis humanè tractati. Nam hæc quamuis pagana, multum hospitalitati dedita fuit, ac timori diuino, & religiosa valde, adeo vt esset eis * admirationi. Post refectionem vero ALBINVS, linguæ gnarus matronæ adhuc ignoranti rem omnem secreto aperit, scilicet qui nam essent & quare aduenissent. At illa vehementer attonita, Me miseram, inquit, o domini mei, quare ad me intrastis, de vobis enim iam apud magistratus data sententia est, & de me quoque, si vos non prodidero, Sed diuina Clementia seruos suos

Admirationi.

vbiq;

vbique tueri nouit. Nam matrona illa, diuinitus, ut puto^r commonita in superiori quodam cœnaculo eos abscondit, quasi Raab Iherichontina, ne perderentur, effecit equituras & rem illorum & sarcinas, & quæcunque habere poterant, illa per pueros suos subito extra ciuitatem deduci & in præsidio suo collocari fecit. Quibus deductis, ecce gladiatores, & turba populi cum telis & fustibus tecta matronæ irrumpunt, cum tumultu & clamore magno, illos ignotos homines sibi exhiberi iubentes. At illa, Fateor, inquit, homines ignoti ac peregrini, ut sæpe solent ad me declinauerant. Sed accepto prandio mox in viam suam abierunt. At illi scrutantes omnia cum nec iumenta nec vestes nec vlla signa itinerantium inuenissent, furere desierunt. Porro illis per triduum ibi latitantibus, Episcopus cum Duce ab VNZNOMIA profectus multa manu militum & sociorum HOLOGOSTAM intrauit, spem salutis & præsidium portans Apostolis in conclau latitantibus.

*QVOMODO HOLOGOSTAM
intrauerit & predicauerit.*



TAQVE urbem ingressus, Duce fideliter ac strenue ad omnia cooperante, semen sparsit Euangelij, & dura incredulorum corda placida prædicationis ingenio paulatim detumescere faciebat. Interea quidam de Christianorum socijs VDALRICVM & ALBINVM delatibus suis emergentes & iunctos con socijs timorem suum referentes, deriserunt, & quasi eis insultantes, securius sese habere cœperunt, & longius à suis digressi, sana etiam idolorum, Episcopo sermonem exhortationis proferente, speculatū vagabantur. Verum quia maligni homines, apud quos radix paganismi

VI.

Hhh 3

adhuc

adhuc valentius vigeat, En, inquit, isti explorant quomodo templa nostra incendant. Et congregantes se in platea etiam arma portare ac fustes cœperunt, & qua trāsituri videbantur, eis obuiam stare. VDALRICVS autem intuens eos eminus, & subsistens, Non aduertitis, inquit hos non sine causa conuenire. nam & turbulenter se habent & arma portant, & prioris periculi recordans, Nolo, inquit, toties temptare Deum meum. Et conuersus, illo ubi Episcopum dimiserat, redire cœpit, alijs omnibus eum sequentibus, præter clericum quendam ENCODRICVM nomine qui longius ante illos progressus, iam fores delubri tenebat, videntes autem pagani, qui conuenerant, illos à cœpta via reuersos prosequi eos quidem non audebant, sed ad illum clericum interficiendum omnes acquirerunt. Quo viso ille aliud, quo declinaret, non habens, sanum audacter quâuis exterritus intrauit. Erat autem illic clypeus pendens in pariete miræ magnitudinis, operoso artificio auri laminis obtectus, quem contingere nulli mortalium liceret, eo quod esse villis nescio quid in hoc sacrosanctum ac paganæ religionis auspiciū, in tantum, vt nunquam nisi belli tempore à loco suo moueri deberet. Nam, vt postea comperi modo Deo suo SERO VITO qui lingua latina MARS dicitur, erat consecratus, & in omni prælio victores sese hoc præuio confidebant. Clericus autem vir acris ingenij dum metu mortis in tēplo huc illucq; diffugeret telum aliquod vel latibulum quærans, clypeum corripuit, & amento collo iniecto, leuaq; loris inserta in medium turbæ furentis ei in via prosiliit. Rustici vero prodigialē armaturā videntes, partim in fugam cōuersi, partim etiam quasi exanimē facti in terram cadunt: ille autem proiecto clypeo secus hospiciū ad socios curterō cœpit, & pedibus timor addidit alas. Cumq; anhelans & palli

pallidus ad suos deuenisset, de ipsa huius trepidatione & eorum qui præmissi fuerant triduana occultatione apud omnes, præcipue vero apud Episcopum & Ducem tota nocte illa iucunda erat narratio. Monuit tamen pius pater filios suos & discipulos propter insidias latentis inimici, vt se circumspèctè agerent. Tam diu ergo mansit in loco illo disputans & suadens de regno Dei quo vsq; omnis populus fidei sacramenta percipiens, fana sua destrueret & Ecclesiæ sanctuarium cum altari præpararet. Quod Episcopus consecrans, IOHANNEM presbyterum eis ordinauit, & vt reliquam basilicæ formam post suum discessum promoueret ammonuit.

DE TEMPLO DÆMONIORUM
apud Gozgangiam de-
structo.

DEINDE omni populo ualefaciens, & in multa caritate omnipotenti Deo illos committens, ad GOZGANGIAM iter diuertit. in hac siquidè ciuitate miræ magnitudinis ac pulchritudinis templum fuit, sed Episcopus cum de fide Christianæ religionis eos per interpretem alloqueretur (Nam Dux ad sua negotia iam ab eo discesserat) illi ad omnia paratos se asseriebant, si modo fanū eorum intactū remanere potuisset: magnis enim sumptibus nuper extructum fuerat, multumque in eo gloriabantur, eo quod videretur magnum totius ciuitatis esse ornementum. Tentabant etiam occulte immittentes quosdam pontificis animum lenire muneribus pro ædis conseruatione. Tandem rogantes, vt vel in basilicam ordinaretur. Sed Episcopus constanter agens, indignum esse dicebat, ædem
sub

VII.

2. Corinth. 6.

sub titulo Dæmonis ædificatam immundoq; ritu profano tam diuinis vsibus mancipari. Nam quæ conuentio Christi ab Belial, aut quæ communicatio templo Dei cum idolis? Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid seminatis frumenta vestra super dumos & spinas? Non puto. Sicut ergo de agris vestris spinas primo eradicatis ac tribulos, vt iactis bonis seminibus, opratas segetes ferre queant, ita & hanc radicem idolatriæ, spinam prædicationis, de medio vestrum funditus extirpate, vt de bono Euangelij semine corda vestra fructificet in vitam æternam. Hæc & alia huiusmodi sermonibus oportune, & importune, obsecrando, increpando, arguendo per singulos dies insistens duros gentilium animos tandem ita emolliuit, vt ipsi ædem execrabilem, de qua tota quæstio fuit, suis manibus confringerent & simulachra protererent.

DE ADVENTV LEGATORVM
eius, & præparatione dedicationis templi.

VIII.

DVM ea gerebantur, legati marchionis ABELBERTI de SAXONIA superuenere, opera & statum Episcopi studiose inquirentes, marchio etenim cum esset amicus valde ac familiaris Episcopo, in gente barbara huc periclitari metuebat: vnde si opus haberet, præsidium & opem ei ferre cupiebat. Astuere etiam ipsius Episcopi œconomorum nuncij, aurum, & argentum, vestes quoq; & alia necessaria ei deferentes: vt enim supra dictum est, licet Euangelium annuncians de Euangelio viuere deberet, ipse nihil horum vti volens, suis se tantum sumptibus transigebat. Igitur legatos omnes apud se ibi

se ibi tam diu retinuit, quousque videndo & audiendo discerent quid de operibus aut statu eius referre deberent. Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius ciuitatis, ad dedicationem altaris & sanctuarij iam surgentis Basilicæ, multa exultatione populi, deuotus accingitur, omni studio ac diligentia ipsi festo decorem & reuerentiam procurans, quatinus de amissione prioris fani vel celebritatis minimè dolerent, melioris solennitatis tripudio & melioris fabricæ ornamento consolati.

DE ALLOCVTIONE IPSIVS
ad Mizlaus principem.



NTER agendum verò quod ipsa dedicatio vel IX,
quod singula opera dedicationis significare habet, rudi populo antistes exposuit; præcipue vero MIZLAUS ipsius ciuitatis principem, quem pridem in pētecoste cū alijs primatibus VNZNOIMIÆ baptizauerat, vt in eo ceteros erudiret, de his omnibus alloquitur, Sacramētum dedicationis ad animā cuiusq; fidelis pertinere sufficienti sermone demonstrans, quæ Spiritus sancti templū efficitur, vel in cuius corde Christus per fidem inhabitat. Dein sermonem ad ipsum principem ex toto conuertens, Tu es, inquit, fili charissime vera domus Dei. Tu ipse hodie dicandus & dedicandus es, & omnipotenti creatori tuo Deo, vt eminus ab omni alieno possessore, ipsius tantum mansio fias & possessio, non ergo impedias dedicationem tuam fili charissime. * Nihil enim prodest istam, quam cernis domum foris, dedicari, nisi & dedicatio ista in me compleatur. Episcopus autem intelligens adesse Spiritum sanctum, Ex parte, inquit, fili, domus Dei
Iii esse

Videtur hic aliquid deesse.

esse cœpisti; fac ut ex toto sis. Iam enim idolatriam fide commutasti, baptismi gratiam consecutus.

Nūc sequitur ut fidē pietatis operib⁹ exornes, impietates, violētias, & crudelitates, oppressiones, rapinas, homicidia, fraudes penitus, postremo quidquid tibi fieri non vis, alij ne feceris. Captiuitates quas habes absolue omnes. Quod si non omnes, vel eos certe qui Christiani sunt, tuæ fidei consortes. Tum ille parum hēsītans, Durum, inquit, mihi est, pater, dimittere omnes: quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis modō detinentur. Tunc Episcopus, Debita, inquit, pro debitis dimitti & sermo euangelicus & Dominica suadet oratio. Sic enim omnium debitorum tuorum apud Dominum certam remissionem consequeris, si omnes debitores tuos in eius nomine dimittis. At ille altius ingemiscens, En, inquit, in nomine Domini Iesu omnes absoluo; ut, secundum verbum tuum, dimissis peccatis meis dedicatio ista hodie in me compleatur. Et vocans ministrum qui super captiuos erat, omnes dimitti præcepit. Erat autem inter eos adolescens nobilis filius cuiusdam potentis de DACIA. Ille absolutus alijs in cauea quadam subterranea iunctus cippo & catenis tenebatur, eo quod pater eius quingentarum librarum debitor, hunc yadem posuisset. Cumque de absolute captiuitatum, de obediētia, & religione MIZLAÏ principis multa esset tam populo quàm Episcopo & omnibus qui aderant in domino exultatio, & ad consumptionem dedicationis ministri ac sacerdotes alacriter festinarent, necessaria præpararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram positum erat, inueniri nō potuit. Cumque ministri commixtionem salis & vini &
cinerum

sinerum facturi, & non inuentis cineribus turbarentur, VDAIRICVS Sacerdos correpta * contra vicinas domos vnam vel duas scrutatus in eis cinerem non inuenit,

f. conta, pro vase: kanteu vocamus.

Deinde ad tertiam currens cryptam quandam subterraneam, in quam prædictus adolescens in abditiore parte clauderetur intrauit. Sed captiuus per fenestram manu porrecta, & sonitu facto currentem Sacerdotem ad se vocat, rogans vt pro sui liberatione Episcopo significet. Sacerdos vero correptis cineribus properanter ad Ecclesiam redijt & operienti Episcopo alijsque fratribus de illo insinuat. Episcopus vero quamuis misericordia moueretur, Tanta, inquit, præstitit nobis, vt amplius cum rogando grauare non audeam. Tamen ne gaudium huius festi aliqua ex parte claudicet, super huius quoque miseriam Dei misericordiam inuocemus. Et conuersus ad orientem cum ministris quasi hora vna preces fudit ad Dominum. Deinde sacerdotibus ait, seorsum accipite MIZLAVS, & quam modestius potestis super hoc verbo exhortamini. Quod cum facerent, MIZLAVS ait, In hoc vno homine parcat mihi velim prudentia vestra, nam pater eius maioribus mihi debitis astrictus est, quam vt gratis absolui possit. Sufficiat vobis quod tantum absolui gratis. Tunc illi, Reuera, inquit, multum est quod fecisti. Miratur hoc dominus Episcopus, miramur & nos, nec in longo tempore Christianis tale quid in terra Christianorum comperimus, vnde & dominus Episcopus & omnes fratres gratias tibi referunt & honori te habent & semper habebunt, Deoque omnipotenti cuius te seruum exhibuisti, quod de omnibus vicem tibi rependat, deuotè supplicabunt.

Nam & dominus Episcopus tam magni pendit, quod fecisti, ut ultra quidquam rogare te verecundia. Sed noueris in veritate, quomodo si quo pacto te ipsum vincens, hoc bonum cæteris tuis meritis superaddere posses, magna tibi gratia magnaque recompensatio apud Deum cumularetur: magnus etenim dominus Deus noster, & magna virtus eius, morisque illi cum sit pro paruis magna restituere, quanto magis pro magnis maxima. Quod si hoc magnum & difficile tibi pro ipso feceris, non sine mercede maxima ab eo indonatus remanebis. Sed quid multis? Ingemuit homo tactusque ab intus spiritu pietatis, totus soluitur in lachrymas. Deinde cum ipsis clericis ad Episcopum tendens, En, ait, pater sanctissime, in ista quoque petitione Deum meum & te seruum eius dominosque meos sacerdotes ministros tuos honorabo: quinimo pro nomine domini mei Iesu corpus meum & omnia mea si ratio postulauerit, deuotus impendam. Et iubens adduci vinculum ferro & catenis oneratum, flentibus omnibus qui aderant in hostiam & oblationem Deo aræ imposuit, petens sibi remissionem peccatorum à domino pro ipso recompensari. Ita ergo in plenitudine gaudij spiritualis tota illa Ecclesia feruente, & laudes Deo super vniuersis bonis ac donis eius concinente, dedicatio consumatur, omnesque alij exemplo MIZLAY principis vias suas correxerunt, unusquisque ab iniurijs & violentijs seu oppressionibus suis temperando & vi ablata proximis suis restituendo. Ecclesia ergo proficiebat, & crescebat, & licet inuidente diabolo, ambulans in timore domini & spiritu sancto replebatur. Sed hostis antiquus damna sua non ferens opera Dei turbare molitus, validis erroribus vniuersam prouinciam concussit. Nam POLIZLAVS Dux POLONORVM inuictissimus in multa fortitudine & copioso militum apparatu de-

ter-

terra sua iam veniens in ipsis terminis POMMORANIÆ castra metatus ferebatur in furore graui terrā ipsam ingrefsurus. Audierat enim, quod post priorem beati OTTONIS prædicationem nec pacti secum fœderis nec susceptę religionis iura seruare curarēt. Insuper compertum habebat quod ciuitates quæ pridem conuersę fuerant, remissi tributi veniam alpernati, suiq; mediatoris obliti viribus suis se deinceps tutos fore considerent, munitionibus & castris quæ bellica vi conplanata fuerant, ex magna parte hoc interuallo reparatis. Vnde quasi iustam commotionem habens Dux eos iterum conterere veniebat, suęq; ditioni subiugare. Quod illi audientes, missisq; sæpius atq; remisissis exploratoribus, exercitum iam in proximo cognoscentes, multum vbiq; trepidare cœperunt, partimq; fugere ac res suas ad loca munita deferre, partim etiam arma contra mouere, finesq; suos defendere meditabantur. In ipso tamen articulo, vt puto à Deo inspirati omnes quasi oues ad pastorem, scilicet ad Episcopum confugiunt, & quid factu opus esset consilium quærebant, at ille pietatis visceribus affluens Ecclesiam rudem & neophytam bellico tumultu vexari perniciosum sciēs, de diuina misericordia simul etiã de POLESIAI ducis amicitia non vane præsumens, bellū simul & causam belli, si modo cōsilijs eius parere velint, dissoluere pollicetur. Quo audito illi prudētiæ & sanctitati doctoris sui attendentes, nec sinistrè casurū arbitrati negotium, q; ille vt timorem domini suscepisset, communi decreto semetipsos & omnia sua consilia eius sapientiæ commiserunt. Assumptis igitur clericis pater venerabilis sarcinas quidem & omnem supellectilem suam ibi relinquens, obuiam se parat exercitui, iunctis sibi viris honorabilibus de terra, qui à Duce obiectis respōdere & omnibus cōtrouersijs decidendis hinc inde exortis possent

sufficere. Vbi igitur ad castra venit à Duce honorabiliter susceptus, mirumq; dictu, quam facile diuinis eloquijs animi eius feritate lenita, ad omne quod volebat, principem inclinauerit. Ille namq; multum protestabatur non alia causa hoc tempore bellum suscepisse, quam ob iniuriæ Dei omnipotentis ultionem & mutui foederis ruptionem, quia & Christianismi iura in plerisq; locis rem diuinam paganitate violassent & inicitæ societatis & compositionis ligam minimè seruassent. Episcopus ergo hæc omnia emendatione dignissima fassus, legatosq; aliquantū pro his obiurgans, ad pristinæ compositionis pactum partem reuocat utranq; sese tunc temporis, quemadmodum & nunc pacis mediatorum extitisse commemorans. Placabat autem maxime ducem POLONIÆ BROGIZLAI Ducis fides & deuotio ab Episcopo laudata: quia & in priori & in prædicta prædicatione æquè fidelis inuentus, multa bona prædicatoribus ostendisset. STETTINENSIBVS vero quod aliqui ex eis ad errores pristinos reuoluti essent, diuinæ indignationis ac suæ illis mandat non defore vendictam, nisi quæ totius apostasiæ immundicias congrua diluant satisfactio-
ne, indulgentia petita doctoris. Dux itaq; talibus modis à beato viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum utpote prædæ auidū, versis aquilis, ad sua redire præcepit. Porro Episcopus voti compos cum legatis rediens attonitis gregibus suis, optatæ pacis & securitatis nunciū reportauit. Et quantum illi pridem de metu belli mæstificati fuerant & concussi, tantum alacres facti sunt & in fide Christianismi fundati; sane doctori suo ascribentes patriæ liberationem, seruuq; Dei magnificatus est vehementer in terra POMMERANORVM. Ille vero nihil meritis suis tribuens, tanto se humiliorem apud Deum & homines exhibuit, quanto sine illius auxilio se nihil posse sciebat, dimit-
tensq;

tenſq; nuncios, de quibus ſupra dictum eſt, marchioni & SAXONIBVſ gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus & de ſuo ſtatu mandans quæ audiffent & vidiffent, ad Dei gloriam narrare.

QUOMODO VERANIAM IN-

ſulam conuerte voluerit, ſed prohi-

bitus, preſbyterum Vdalricum illo nauigio de-
ſinanit, idemq; tertio vento prohibitus.



RAT autem VNZNOIMIÆ illis diebus Dux pa-
riter & Episcopus. Est autem insula quædam,
non longe à ciuitate illa, habens mare interie-
ctum, quasi itinere vni^o diei, VERANTA nomi-
ne. Sed loci huius incolæ duri erāt & barbari, singulari feri-
tate crudeles. hij prædicatione beati viri dudū comperta,
omnia quæ de illo dicebantur, aspernati, mortē ei, si ad eos
veniret, minabantur. Sed quo amplius duras eorum mi-
nas audierat, eò amplius in animo suo fixum habebat
illo, * sperans ibi martyrij coronam se adepturum. De
hoc vero cum Duce & aliis familiaribus suis dum consiliū
tractaret, propter immanitatem periculi ab omnibus dis-
suasus est. Quod ægerrime ferens, ingeniosus agere cœpit
quomodo se nescientibus eis illo proriperet. Hoc sentien-
tes illi, cautius eum obseruabant, nullā secuti opportuni-
tatem quod id aggredi posset ei concedebant: salutē illius
vitamq; multis vtilem ac necessariam memorantes. Verū
desiderij magnitudine nihil huiusmodi rationum audire
potuit, illos potius modicę fidei arguens, ac pusillanimita-
tem eorū increpās, fidē Christianā factis magis firmādam
aiebat, quam verbis. At is, Quæ merces æternę vitæ prædi-
catoribus, qui pro illa vitā præsentem expendere formida-
rent? Et quid, inquam, fieret, si in his barbaris nationib^o e-
uangelizantes p̄ Christi nomine omnes occumberemus?
Nimi-

X.

Nimirum gloriosior esset prædicatio, quæ nostrum sanguine firmaretur. Sed ô dolor de tanto fratrum numero nec vnus, puto, dignus habebitur, morte sua vitæ, quam speramus, perhibere testimonium? Atq; verbis talibus verecundianata est trepidantibus.

VDALRICVS autem venerabilis sacerdos constantior factus sciens etiam hoc seni placere, huc lætus -----
 Accepta igitur benedictione paraturam sacerdotalem, calicem quoque ac librum & cætera quæ faciendæ missæ ratio postulat nauem conscendit. Sed illi videntes fratrem suum vnice carum solum ad martyrij palmam properantem cum dehortari eum non possent, viam eius lachrymis vberioribus prosecuti sunt. Qui horis quasi tribus prosperis flatibus nauigans fere iam ab oculis eorū oblat⁹ fuerat, & ecce tempestas oritur, ventisq; contrarijs ratem huc illucq; pellentibus, viam tenere nō potuit, sed & littus vnde exierat post multam fatigationem appulsus est. Ille vero tametsi tempestatis iniuriam & imbribus de super irruentibus & procellis nauem deorsum implentibus totus esset madidus, vixq; spirare videretur à cœpto desistere noluit, neq; ad terram exire noluit, sed sedēs in nauicula tranquillitatem maris exspectabat; interim aquam de nauis vasculo proijciens. Ventis itaque paululum sedatis, iterum nauigare cœperunt, iterumque simili modo impeditus est. Tertia quoque vice ire temptans, sed nihilominus nocte ac tempestate ingruente ponti sæuitiam vix & quasi per miraculum euasit; tempestas vero infra dies septem non cessauit. Intellexit ergo vir Dei VERANOS emangelicæ gratiæ indignos, currensq; cum clericis discipulum quasi de palæstra coronatum de littore ducit ad tectū, super ipsius constantia fideiq; magnitudine dominum benedicens, At vbi cœnatum fuit fratres de navigatione V-

DALRICVS

DAURICO iocari cœperunt. Et quis inquit si perisset homo, reus homicidij teneretur? ADELBERTVS autem interpres, cui maximè factum displicebat, Quis iustius, inquit, homicidium lueret quàm is qui eum ad tale periculum direxit? Verum Episcopus quamuis ab eodem fratre de hoc verbo ante pulsatus fuerit, nil motus, ad Euangelium se conuertit, & exemplo domini discipulos quasi oves inter lupos mittētis factum suum defendit. Quis enim, ait, homicidij reus tenebatur, discipulis qui à domino mittebantur interfectis, qui oves ad lupos misit: profecto à lupis oves deuorandas sciuit. Deuoratae sunt oves à lupis, interfecti sunt Apostoli à tyrannis. Deinde parabolam facto suo coaptans plena rationis doctrina discipulos animauit, dignisque exhortationibus in gaudio spiritali magnam partem noctis expendit. Et mane facto, quid nam agerent vel quo ducerentur, inter se tractabant. Verum haud diù cunctabundi, quod superfuit de opere in agro Domini Coloni fideles inter se distribuunt; alijs retro ad THYMINAM, alijs autem ad loca alia euangelizandi gratia diuertentibus.

*QVOMODO SOCIIS NE AD
STETINAM iret, dehortantibus, so-
lus tunc adgressus sit; & retractus,
comites via eos acce-
perit.*



PISCOPVS vero ad STETINAM iter proposuit cum ministris, de apostasia in spiritu vehementi increpare superbos. Sed clerici qui cum ipso ituri erant, STETINENSES, barbaros & crudeles
Kkk agno-

XI.

agnoscētes, suæ pariter & illius saluti metuebant. Vnde ne illuc veniat dehortantur studiosius. Cumque illi molesti essent, Video, ait, tantum ad delicias venimus: quidquid asperum & difficilè occurrit, totum declinandum iudicamus. Sed esto, nam ad gloriam martyrij, sicut nullū cogere volo, ita si posset fieri, omnes vos hortari vellem. Rogo autem si iuuare nō vultis, saltem ne me impediatis. Suæ vitæ potestatem habeat vnusquisq;: liberi estis vos; liber et ego. Dimittite me viri obsecro. Et ciecitis omnibus sese in cubili suo in orationem dedit vsque ad vesperam. Deinde vocat puerum familiarem, præcipiens vt clausis vndique ostijs, à se omnes dimoueat nullumque sine sui conscientia admittat. Quo facto secreti sui compos, fugam meditatur, itineralia induitur, succingitur, indumenta sua sacerdotalia cum libro, calice, alijsque utensilibus in mantica ponens, omnia in humeros leuat, tectusq; umbra noctis, clam cunctis nescientibus, incomitatus urbem egreditur, viam carpens, quæ STETINA M vergit. Cumq; circumspexisset huc atq; illuc & nullum comitari se videret, latus & alacer de prosperitate furti, Deum benedicens matutinale inchoat officium, gliscēs, & properans totum iter nocte illa complet. Cumque nocturnus viator viam ardentem carperet, hora noctis decimiam instabat; Clerici autem è diuersis stratis surgentes cum ad dicendas matutinas se colligerent, quidam suspēso gradu ad cubiculum pergunt Episcopi, virum dormiat an vigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verum vbi propius propiusq; admoti Episcopum nō inueniunt, consternati sunt animo. Et diligēter omnia scrutātes, cubicularium Episcopi & alios qui iuxta erant crebro sciscitantes quod factum fuerat, tandem ediscunt. Quid multis? turbant.

turbantur omnes, alijque pedibus, alij vero ascensis equis, huc illucque pontificem quæsituri discurrent, factoque mane hi qui in equis fuerant, directo calle ac concito gradu versus mare viam insequuntur abeuntis & abeuntem consequuntur. At ille vbieminus venientes nauem iam intraturus, agnouit, turbatus est valde & altius ingemiscens, Heu, inquit, Domine Iesu vnice Dei, vnice virginis, dulce nomen spei meæ, nunquid fraudabis me à desiderio meo? Fac, oro, vthi, qui veniunt, aut mecum cant, aut me à proposito meo non impedian. His dictis illi accurrebant, moxque ab equis desilientes pedibus illius prosternuntur. Sed quid? prosternitur & ipse: leuant illi; leuat & ipse: flebant illi, flebat & ipse, vocemque mæror ac tristitia vtrinque diutissime interclusit.

Tandem post multas lachrymas senior mæstus in hanc vocem prorupit, Ad quid venistis? Redite quæso ad hospicium & ego via quam cæpi pergam. At illi, Absit, inquit, Sufficit nobis hæc tam grandis confusio, amodo te nequaquam deferemus. Si redire vis? tecum redibimus; sin autem progredi, maius tecum progredimur. Sed placeat sanctitati tuæ consilium nostrum. Redeamus pariter ad fratres & ad pueros nostros hodie, cras, ecce, coram te loquimur, siue in mortem siue in vitam omnes tecum veniemus.



xxxz

qvomo.

QVOMODO SEQVENTI DIE
Stetinam intrauerit & prædica-
uerit.

XII.



ALI ergo pacto Episcopus cum eis reuersus
craftina die omnibus se comitantibus viam e-
andem ingrediuntur, ascensaq; naui prospe-
ris flatibus, Stetinam sunt aduecti. Homines
autem de ciuitate inter se diuiserunt, alijs adhuc in fide
manentibus, alijs vero ex maiori parte ad paganismum
reuersis. Fuit autem basilica ante introitum ciuitatis in a-
rea spaciola, quam ipse in priori profectioe dedicauerat.
Quam ingressi hospitari cœperunt, fideles itaq; de aduen-
tu Episcopi gaudebant, infideles turbabantur. Præ omni-
bus vero nefandi sacerdotes furere & furorem ----- ex-
citare, adeo vt collecta manu armatorum, Ecclesiam vn-
diq; cingerent, & insanis tumultibus debacchantes ædem
ipsam conuellendam & omnes qui erant ibi vnâ cum ma-
gistro interficiendos clamitarent. Episcopus itaq; marty-
rij audis, pontificalibus se induens, arma sua, **CRUCEM**
tollit & reliquias, psalmosq; ac hymnos cum clericis per-
sonans, agonem suum domino commendabat. Barbari
vero audito cantu mirati sunt valde, quod quasi in arti-
culo mortis positi cantare potuissent. Et auscultantes mu-
tuosq; se respicientes, virtute vt pote verborum incantati,
clementius se habere cœperunt, & iam non viribus sed
magis ratione opus esse dicebant, ad talia recipienda, vel
etiam propulsanda. Deinde sapientiores quiq; super his
rebus ipsos sacerdotes secretius conueniunt, ipsorum esse
dicentes cōgruis rationibus religionem suam defendere.
Talia inter se mussitantes paulatim ad sua digrediuntur.
Erat

Erat autem sexta feria & Episcopus cum suis illa die sabba-
toque ieiunijs & orationibus sacrisque meditationibus usque in
diem dominicam intentius operam dabat.

DE VITSTACO QVOMO-
do à vinculis sit ereptus.

VINTEREA cuius quidam nobilis eiusdem ciui-
tatis VITSTACVS nomine, in conuentu po-
puli, in plateis, & domibus, vbicunq; & quado
cunq; facultas data est, regnum Dei & fidem
prædicare non desijt, Christianas traditiones & omnia
documenta Episcopi sana & sancta & veritatis plena con-
testans. hic etenim non longe ante aduentum pijsissimi OT-
TONIS cum alijs conciuibus suis piraticam cõtra paganos
exercendo dum incautius ageret, in hostes inciderat, mul-
tisq; ibi trucidatis cum alijs vitæ relictis in captiuitatem
ductus fuerat. Cumq; ferro & catenis & tenebrosi carceris
custodia clauderetur, orando ad dominum per merita
Episcopi liberatus fuit. Nempe cum diuturna oratione
fatigatus in somnum resolutus esset, Episcopum OT-
TONEM qui eum baptizauerat & de sacro fonte leuauerat, si-
bi assistentem videbat. Quem dum ille cognosceret, rogat
iterum & genua flectit pro ereptione. At ille, Ad hoc, in-
quit, veni, sed tu liberatus ea quæ Stetinensibus mando,
ferre non dubites. Et mox datis mandati verbis, & si-
gno crucis ad eum facto, captiuum exire iubet. Expergef-
ctus homo de visulætatur, mouet gressum, effectum pro-
bat visionis. Et ecce catenæ omnes & vincula soluebantur,
progreditur ad ostium, & carcer apertus erat. Sentit ergo
virtutem adesse diuinam altiq; suspirans gratias agit om-
nipo-

XIII.

mnipotenti Deo, ac timido gressu inuisam domum exiit, suspectisque locis leniter transiit, cursum ad mare tetendit, diuq; huc & illuc discurrens nauem quærebat, sed nullam inueniens admodum anxiani cœpit. Nam se denuo capi, denuo incarcerari metuebat. Sed quid faceret? Ad vltimum, formidine mali, cum iam sine remige corpus in vndas pararet mittere, OTTONEM suum nominans ingemuit ad dominum. & ecce de insperato cymba littori adlabitur; quam sibi à Deo pararam videns, cum gratias egisset, ascendit & vtriusq; manibus fluctus verberans, ratem conuertit in altum, mirumq; dictu, quam citissime prosperante deus pat' ad pulsus est horis quod miraculum assiduo relatu notum faciant & STETINAM veniens responsa Episcopi ciuibus in vnum cōgregatis vt iussus erat præmissa ex ordine liberatione sua ita exposuit: O ciues, doctor & magister noster beatus OTTO sic & sic fecit mihi: & hæc mandat vobis. Grauis & dura nimis ab omnipotenti Deo vindicta super vos & super ciuitatem istam ordinata est, pro eo quod eius fidem & culturam polluistis, partim cum eo partim pro eo idolis seruientes.

DE SACERDOTE IDOLORVM *altare domini confringente sed punito.*

XIV.



f. Adlberti.

EPANDI quippe sacerdotes dum peste ac moribus homines & iumenta quodam anno ex inæqualitate aëris sibi laborarent, à dijs hoc malum immissum esse dicebant & ex voluntate populi Ecclesiã sancti ADLBATI martyris tintinnabulo & campanis deiectis, destruere cœperunt, vnusq; illorum dum malleo cementarij altare percuteret, subito læguore ac stupore à domino percussus est. Cumq; malleus de manu

manu eius caderet, cecidit & ipse: deinde post longum spiritu parum resumpto, populum astantem, quasi ex plaga emendatus sic adoratus est, frustra O ciues nitimur: Deus Christianorum fortis est, & nostra vi à nobis expelli non potest. Mibi autem consilium videtur, vt illum habeamus, & tamen antiquos Deos nostros non dimittamus, & iuxta illius aram nostris quoq; dijs aram constituamus, vt eos omnes pariter habeamus propicios. Quid faceret populus? Territus pro digio consilium probauit, exstructoq; nefando altari iuxta dominicum altare Dei, seruierunt & daemonebus iuxta historiam antiquitatis, qua dicitur, quod populus Samaritæ Deos gentium colens, nihilominus domino seruiebat.

DE ADVENTV EPI-

scopi.

BISTA CVS ergo fidei zelo calens non semel aut bis legationem, quam acceperat, egit ad populum, sed ex quo à captiuitate redijt, nunquã cessauit euangelizare regnũ Dei, misericordiã Dei & merita liberatoris sui ciuibus inculcans; & nisi ab errore quiescant, diuinam eis ultionem intentans. Tota vero ciuitas, exceptis sacerdotibus factum hoc cum ueneratione mirabantur, & tamen praua ualente consuetudine, à paganis ritibus cessare non poterant. Sed iam de præsentia domini Episcopi responsalis eius audentior factus, linguã laxat eloquio, victorq; idolorũ & vatũ, vana de his vaticinantiũ, ad seruũ Dei veniens cũ amicis & cognatis suis, pronus adorat, gratias agit, referens omnẽ ex ordine, ipsumq; ardentem ad opus prædicationis instigat, auxiliũ ei & consilium ex sua suorumq; parte ad omnia pollicitus. Itaq;

XV.

.LXX

Itaque die dominico completis missarum solennijs, sicut erat sacra indutus, armatura vexillo CRUCEIS ex more pre-lato, in medium forum ciuitatis duci se rogauit. Cumq; ad portam ventum esset, ecce, per quam sine remigio trans mare VVITSA CVS vectus erat, nauicula poste pen-debat; & admotus lateri pontificis, Vides, ait, pater? & feriens eam hasta, Hæc, inquit, cimba testimonium san-ctitatis tuæ, firmamentum fidei meæ, argumentum le-gationis meæ ad populum istum.

Erat autem alius breuissimus qui à duobus facile porta-retur. Subsistit Episcopus, & diligenter rem considerabat, perpenditq; quod in pacatissimo amne vix, remo guber-nata, vnã personam portare sufficeret, nedum in flucti-bus marinis sine omni gubernaculo nisi hoc diuinæ virtu-tis esset gubernaculum, gratias agit Deo beatus antistes quod incredulæ genti virtutem suam tali facto demon-strasset. Liberatus autem subintulit, Hanc idcirco suspē-di feci ad portam vt ingredientiẽs siue egredientes factõ hoc disceretis, quid in suis necessitatibus de Dei miseri-cordia ac de tuis meritis, sanctissime pater, sperare deberēt. his dictis in confertissimas paganorum turbas, ministris comitantibus, in medium forum sese contulit Episcopus. Erant autem ibi gradus lignei, de quibus præcones & ma-gistratus ad populum concionari solebant. In quibus stas minister Euangelij sermonẽ cœpit, fremitũ verò diffidẽtis populi VVITSA CVS vice præconis manu & voce sedabat.

*QVOMODO HASTISEVM AP-
proiecerint sed in manibus eorum di-
riguerint.*

XVI.



VMQ; omnes conticuisent, & verbum exhor-tationis pars maxima libenter ---- ecce vnus Sacerdotum vir Belial, plenus furore, pinguis, procerus,

procerus, in medium turbæ sele fortiter intrudens cambuccam suam manu gestabat, spiransq; & anhelans, vsq; ad ipsos gradus accessit, leuataq; manu semel & bis columnam graduum validissime percussit. Deinde clamore magno & verbis nescio quibus contumeliose prolatis, silentium mandat loquenti, suaq; vocis grossitudine magnum tonans sermonem, Episcopi & interpretis pariter oppressit, populoque ait: Sic ô insensati & stulti, & inertes quare decepti & incantati estis? Ecce hostis vester & hostis Deorum vestrorum. Exspectatis? feret ne impune contemptum & iniuriã? Omnes autem incedebant hastati. Fatur ergo sacerdos. Hæc dies omnibus erroribus eius finē imponet omnesq; adhortas sigillatim quoq; de quortū certus erat malignitate proprijs nominibus compellabat. Et quicūq; spiritu vesano agitabantur, quibusq; familiarē fuit, audacter magna, quàm consulte agere, ad dicētis vocem inflammati hastas leuant, quas dum ad iacēdum vibrant, actu rigent in ipso, mirumq; dictu, nec hastas iacere, nec dimittere dexteram, vel de loco moueri poterant. Stabant igitur vt simulachra immobiles, fidelibus & religiosi facti spectaculum. Quorquot enim erant infideles & maligni qui à fide Christianismi defecerant & in infidelitate sua pertinaci dementia stantes impias manus contra seruum Dei leuauerunt, hac pœna tam diu sunt multati, quousq; in sua fide boni firmarentur, & illi à prauitate cordis per pœnam corporis corrigerentur. Nam & Episcopus arrepta miraculi occasione, Cernitis, inquit, fratres, quanta sit potentia Domini. Certè, vt video diuinitus ligati estis. Quare non iacitis hastas? Quare non dimittitis dexteram? Quamdiu in hoc visu apparebitis? Illi autem nescio an præ confusione, an præ stupore nihil respondebant. Tunc ille, En, inquit, Dij vestri pro

quorum religione certatis, si quid possunt, auxilientur vobis. Sed & iste vester tumultuosus sacerdos inuocet nunc Deos suos, super vos, det consilium, det auxilium. Si quid nouit, si quid potest; iam tempus est. Ille vero iam stabat, iam dudum euentu rerum attonitus iam ulterius nec mutire præsumens. Cumq; omnes ingenti pauore silerent, Episcopus miseratione tactus, Gratias inquit, tibi Domine Iesu Christe, qui potentiam fortitudinis tuæ, cum tempus est, ad terrēdos aduersarios & ad protegēdos seruos tuos exercere soles. Sed quia pius & misericors es, ignosce, ignosce, rogamus ignorantia seu temeritati populi huius & vsum corporum suorum quo te ligante priuati sunt, solita illis miseratione restitue. Quo dicto, CRUCISQ; signo ad eos facto, effectus orationem mox insecutus est. Et subiungens, En, inquit Episcopus, si audire hactenus nolulistis, tangite saltem, & sensu ipso probate quanta sit misericordia Dei nostri, quanta sit veritas fidei quam prædicamus vobis, & longius de iudicio & misericordia Dei de vitæ præsentis incerto & perseverantia æternorum profunde disputans, contritos in Syon peccatores erudiuit, tandemque medicamine salutaris eloquij aliquantum mansuefactos benedixit, & cæterum dimisit. Descendens vero de gradibus Ecclesiam sancti ADELBERTI cum fidelibus zelo zelatis pro domo domini intrauit à præmissa inibi orationis solennitate altare abominationis fregit, comminuit, & eiecit, factaque reconciliationis emundatione, fracturas Basilicæ suis fecit emendari impensis.



• QVOMO.

QUOMODO PVEROS (CHRISTIANOS à paganis separauit.

VMQ; sæpius eandem frequentaret Ecclesiam, quodam tempore pueros in platea ludentes inuenit, quos dum lingua barbara salutasset, vultu coniocando illis etiam CRVCIS signo eos benedixit, & paululum procedens, intellexit, quod vniuersi relictis ludis suis, visendi studio collecti, à tergo sequuntur Episcopum, hominum ignotorum, vt est mos illi ætati, aspectum habitumque admirati. Substitit homo Dei, & circumfusus blande alloquens, sciscitatur si aliqui ex eis baptisma percepissent. Illi se mutuo respicientes, cœperunt inuicem prodere, qui fuerint ex eis baptizati. Quos Episcopus seorsum vocans, quærit ab eis, voluntatis eorum sit, tenere velle; constanter affirmantibus, Episcopus, si, inquit, Christiani esse velitis, & fidem seruare baptismi, istos non baptizatos & infideles pueros ad ludium vestrum admittere non debetis. Qui statim iuxta verbum Episcopi similes cum similibus congregati pueri baptizati non baptizatos abijcere & abominari cœperunt, nulla eis ludi societate communicantes. Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi de professione Christiani nominis gloriantes, familiarius agere & auidè intueri & audire doctorem, etiam inter ludos suos; illi autem quasi de infidelitate confusi & exterriti, à longius stare. Sed pater optimus & credentes miti sermone ad fidem plenius pro ipsorum capacitate instruxit; non credentes vero ad credendum tam diù exhortabatur, quousq; baptizari se & Christianos fieri omnes flagitent,

Lll 2

QUOMO

QVOMODO VVITSTACVS
ad Episcopum veniens verba ei po-
puli renunciauit.

XVIII.

INTERIM vero maiores natu & sapientiores
quique de rebus istis altius inter se tractaturi con-
siderant, & à mane vsq; ad medium noctis huic
deliberationi vacantes, de salute propria & to-
tius populi, de statu ciuitatis & conuersatione pariter se-
cundum prudentiam sæculi diligenter disputabant. Præ-
cipue autem vniuersa quæ OTTONIS erant dicta vel facta
examussim trutinabant, & mediante spiritu sancto in
hanc sententiam omnes conueniebant, & Ecclesiæ, vt
funditus extirpata idolatria ex integro se religioni chri-
stianæ submittant; atq; in hoc verbo concilium soluunt.
VVITSTACVS verò qui omnibus his intererat, nocte
ipsa cum paucis ad Episcopum veniens, optatum affert
nuncium, omne consilium ei breuiter intimans. Dein-
de etiam collectis ad Episcopum clericis & alijs familiari-
bus omnia quæ audierat quæq; in concilio de ipso dicta
fuerant, secundum ordinem liberationis eius qui loque-
batur; & de miraculo, quod hastas vibrantes contra Epi-
scopum pridie obriguerant, & quod adhuc Episcopum la-
tebat, qui ad Ecclesiam cum ministris per plateam præ-
paratus incedebat, tantus splendor vestium apparuit, vt
maligni homines qui ad eum necandum ex insidijs ve-
niebant, nimie claritatis aspectu in fugam territi ac turbati
uersi fuerint. denique virum illum virum Belial sacerdotem
qui ei concionanti ad populum impedimento fuerat ab
ipsis ciuibus eiectum nunciat. Porro apud eos eius libera-
litate & elemosynarum inæstimatæ largitiones, captiuo-
rum

rum redemptiones quoque sine magna recompensatione, quod nullius eorum opes vel substantiam oblatam contigerit, suis impensis sese atque suos transigens, etiam basilicas extrueret, destructaque reedificaret omnia: hæc quantæ venerationis, quæque admirationis habita sint, cum gaudio referebat. Igitur de mane consurgens Episcopus, & cum gratiarum actione Missas celebrans, concurrentes ciues iterum alloquitur; paratos atque obediens ad omnia inuenit. Quicumque enim apostasie vicio se inquinauerant, spiritus sancti virtute faciente, compuncti, per manus impositionem in fonte lachrymarum suarum loti, Ecclesie sanctæ reformantur. Pueri vero & quicumque sacramentum baptismi nondum erant consecuti, baptizantur; fana destruantur, Ecclesiarum fracturæ solidantur; si quæ destructæ fuerant, reparantur. omnis ergo populus iam quasi vir vnus id ipsum sapiebant in domino. Gaudet Episcopus, latantur sacerdotes, magnifica fiunt in consilio iustorum opera domini.

DE ROMBONE A PISCATORIBUS CAPTO.



PATER hanc autem spiritualis lætitiæ occasionem, diuinitas omnipotentis illi ciuitati ex inopinato corporale commodum exhibuit. nam immensæ molis ROMBONEM circa portus ac naues se ostentantem piscatorum manus ad litus eiecit in mense Augusto; cum tamen illis in locis talis captura non * vero vernali tempore occurrat, ex cuius

XIX.

LII 3

& E.

f. nifi.

& Episcopo, cuius meritis hoc munus adscribebant, plusquam absumere cum suis omnibus posset, apportant.

*QUOMODO DOMINO PRO-
tegente iētum securis euaserit.*

XX.



ERVUM tam lætis euentibus temptatio non defuit. Nam cum delendis & extirpandis fanis Idolorum & sacris diligentius instaret Episcopus, nucis arborem mirandæ pulchritudinis Idolo dicatam, ne scandalo esset rudibus, volebat incidere. Vicini autem, qui umbra eius & amenitate sæpe delæctati fuerant, ne incideret eam, rogabant. Porro agri possessor vehementius irasci atq; indignari cœpit, aliiq; modeste agentibus, hic minis & clamoribus longius assistens furorem cordis euomuit. Itaq; quasi paululum furore sopito, silentio à tergo accedit nulloq; sperante securim bellicam utriusq; manibus leuans caput Episcopi ferire visus est. Sed illo præsentiente atq; in aliam partem ruente, bipennis casto vulnere in trabem pontis, iuxta quem stabat, perlata est, tam foriter, vt à feriente reduci non posset. Accurrūt omnes, comprehendunt, trahūt, scindunt infelitem illum, & nisi per interuentum Episcopi, eadem securus trucidassent.

*DE SACERDOTE IDOLO-
rum Episcopum persequente, para-
lysi percusso & mortuo.*

XXI.



TTONE sic à periculo liberato, percussore suo de manibus percutientum saluato, ALBERTVS presbyter ad TEVTONICAS se partes

ver-

vertens profundius inclinatur, Deo, Sancto Michaeli in
 VVABENBERG fratrum orationibus, gratias agit pro salu-
 te. Et conuersus ad Episcopum, En, inquit, scutum ora-
 tionis fratrum, protectio sancti Michaelis Archangeli. De
 arbore vero ne incideretur, tandem ciues multis precibus
 obtinuerunt, iureiurando affirmantes nihil vnquam di-
 uinitatis vel sanctitatis arbori se adseueraturos, neq; numi-
 nis vel idoli alicuius vice se illam habituros; sed magis
 pro vtilitate fructuum & vtilitate vmbrae. Omnibus
 ergo quæ ad cultum fidei spectant rite ordinatis, dum ad
 alia loca pararet iter, ab vniuersis maioribus natu pruden-
 tioribus ciuitatis, rogatus est, vt quia Deus cum illo erat,
 & multa eis bona ostenderat, ducem VROCIZLAVM, cuius
 offensam grauib; culpis incurrerant, eis placare studeret,
 atq; hoc facto cuncta circa se studia sua deauraret. Annuit:
 elegit viros honorabiles ad responsa accipienda siue red-
 denda idoneos; ducem adiit, preces fundit, accusat popu-
 lum & excusat. Deinde potenti suadela mitigat indigna-
 tionem, iubet, obsecrat, facit cõpositionem, pacatisq; ad
 perfectum omnibus missis cum colegatis pacem affert ci-
 uitati. Hinc toti Ecclesiæ valescens miris affectionib; Iv-
 LINA M ire dimittitur. Maligni vero sacerdotes pleni dæ-
 monibus, cum iam aperte nõ possent, vel per insidias seruo
 Dei nocere moliti sunt. Condueta enim magna licariorũ
 manu, viam abeuntis in arctiorib; nauigij locis obsederũt;
 suis amicis istarum rerum nescijs, mortem Episcopi, quasi
 per diuinationem prænunciantes. At vbi ad insidias ventũ
 est, hostes arma corripunt, funambulos tenent, nauigãtes
 inuadunt, Episcopi sanguinem super omnia sicientes, STE-
 TINENSES vero & comites Episcopi arma rapiunt, ex rate
 prosiliunt partim terra partim aqua cõsistunt, vim viribus
 audacter arcentes. Cumque aliquam diu pugnatum esset,
 hi

hi qui de insidijs erant, à STETINENSIBVS cœperunt agnosci, confusi de facto fuerunt. At sacerdos qui hæc machinatus erat eadem hora domi cum amicis residens paralyti vehementissime cœpit vexari, languore suis cum Dijs non immerito laniantibus. Cumq; ore, oculis, ac tota facie distorta, frontem ad scapulas verteret, miserabili corporis agitatione in mortem solueretur, ait, Hæc patior propter insidias & mala quæ contra OTTONEM feci. In hac voce vitam finiuit. Tantus autem fœtor subsequutus est, vt Pluto ipse infernalis, vel quisquis illic est maximus, ab huius faucibus spirare putaretur. Item alius quidam de sacerdotibus OTTONI contrarijs cum ad negotia sua cum institoribus fortè nauigaret, in insulam quandam nauæ, vt adsolet, ad suas commoditates applicuissent, iste alienata mente, nec vultu nec voce sanum quid agens, à comitibus notatus est. Cumq; seorsum ab alijs insula velutiper amentiam vagaretur, iuuenes quidam quasi per lasciuiam secuti, delirum fune persequuntur, ad arborem ligant, ac cædunt. Ille vero incautis motibus vinculorum impatiens solvere se luctabatur. Sed diuino iudicio cōfectus per funem qui collo iniectus erat, intercluso anheliu mortuus est.

QUOMODO IVLINENSES

*exemplo Stetinsium de apostasia
resipuerint.*

XXII.



PISCORVS autem Dei protectus auxilio cum IULINAM venisset, nihil ibi inuenit aduersitatis. Omnes enim redargutiones de apostasia seu de alijs excessibus patienter ferebant, indigna & mala opera sua dignis emendationibus ad eius doctrinam expurgare

purgare corrigere parati. Ille autem per manus impositionem, sacri verbi exhortationem sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ omnes reformauit, baptizatis pueris quoscumq; Sacramenti huius expertes inuenit. sicut cum exemplo STETINENSIVM pridem à fide recesserant, ita denuò conuersis illis facillè còuertebantur. Illos enim per omnia imitari quasi pro sententia eis fuit.

DE MULIERE CÆCA QVO-
modo visum receperit.



VM autem sacris operib⁹ illic instaret Episcop⁹, XXIII.
mulier quodam in rure posita, nescio quo euen-
tu subita cæcitate percussa est. Audiens autem
antistitem adhuc esse in ciuitate, duci se illo iubet. Et veni-
ens corruit ante pedes eius, auxilium petens super clade
sua. * Si quid autem æris pendebat ante fores Ecclesiæ,
quod simplices, cum intrarent oraturi quasi ad excitandum
sanctos pulsare consueuerant. Episcopus ergo dum ad
succurrendò à muliere crebro inuocaretur, Vade, ait, ma-
ter, vade ad Ecclesiam, quassa campanam, excita sanctum
ADALBERTVM, vt te adiuuet. Abijt illa, Deum & sanctum
ADALBERTVM inuocans, arreptoq; fune non prius à pul-
satione signi cessauit, quam oculorum lumen reciperet.

Videntes autem ciues grãtias agunt domino super gra-
tiã huiusmodi & magis in fide Catholica roborati sunt. Sed
dum hac factum Episcopi meritis adscribere vellent, pro-
hibuit eos dicens, Non me miraculorum factorem, sed
peccatorem sciatis. Potius hoc beati martyris ADA-
BERTI meritis adscribendum certissimè noueritis. Num
obliti estis, quomodo priori Anno cum tota ciuitas ista

M m m incen.

incendio vastaretur, hanc ædiculam suam beatus martyr in medijs flammis positam liberavit? Sed moneo vt illius calamitatis memores, nec IULIVM ipsum nec IULII HASTAM nec statuas idolorum vel simulachra vllomodo colatis, denuò pristina mala iterantes, ne mortem, pestilentiam, incendia, bella, diuina incurratis vltione. hæc his similia Dei seruus ad eruditionem populi blanda oratione loquebatur.

DE PVERO SANATO.

XXIV.

DE vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum cum obrulit Episcopo, adductis cum eo quatuor bubus pascualibus, donorum gratiam pro benedictione. Sed doctor bonus manus suas excutere suetus ab omni munere, benedictionem quidem puero tribuit, ipsum autem puerum cum patre ac donarijs ad papilionem suum, vbi capsæ ac reliquiæ Sanctorum erant, deduci iubet, vt ibi, si vellent, facta oratione & oblatione Dei misericordiam inuocarent. Valdunt; sanatur puer: gratias agunt.

DE FRENETICO SANATO.

XXV.

MILES quidam frenesi ac demetia interdum capitis languore vexatus, in loco, vbi ad orandum steterant pedes eius, sese proijciens, sanitatem orans obtinuit.

DE

DE SEGETE DIVINITVS
EXVSTA.

IN die sancti LAVRENTII ROCETIS presbyter **XXVI.**
 beati viri ad villam pergebat: homines autem
 terræ illius nondum consuenerant servare di-
 es feriatos. In ipso ergo die transeunte presbytero, rustici
 segetem metebant. Ille autem de observantia festi eos al-
 loquens, merita martyris prædicabat, atque ut ab opere
 cessarent sub contestatione & reuerentia beati LAVREN-
 TII admonebat. Sed cum scriptum sit: stultus non corri-
 gitur verbis, homo qui magister erat operis, spreta sacer-
 dotis admonitione, operarios suos magis ac magis urge-
 bat. Contristatus ut digna ultione contemptum martyris
 sui vindicaret. Nec mora ex improviso ignis venit & stā-
 tem segetem & eam quæ messa fuerat undique afflavit,
 tantaque vis ardentis fuit stipulæ, ut ipsi rustici de campo
 fugerent. Factum quæ est ut qui saluis frugibus ab opere spō-
 te cessare noluerant, perditis omnibus quæ habebant, ces-
 sarent inuiti.

ITEM DE DVOBVS DIEM

*Dominicum non obseruanti-
 bus & multatis.*

IN MILLE quoddam eodē presbytero per omnia **XXVII.**
 pergente in ASSUMPTIONE Beatæ semper vir-
 ginis MARIE factum comperimus, duobus
 videlicet rustico & eius vxore in agro metentibus: Zelo
 enim religionis presbyter eos prohibebat, dicēs, Huic di-
 ci propter assumptionem Dei genitricis honorem deberi.
 M m m 2 Erat.

Erat autem secunda feria. Dicebat ergo rusticus, Heri propter dominicam non licuit operari, iterum hodie vacare debemus. quæ est hæc doctrina, quæ homines à rebus necessarijs bonis iubet cessare? quando ergo collectas videbimus fruges nostras? Puto vos inuidere vtilitatibus nostris. Cumq; iam ad blasphemandum os aperire vellet, falcem crebris tractib; messor vehemēs in calamos vibraret, mirum dictu, subito extinctus in sulcos cecidit, falcemq; in dextra, segetem autem in sinistra, vt absecta erat, tam fortiter mortuus tenebat, vt à nullo auferri posset. mulier autem infelix, socia operis, morte quidem multata non est; puto quia sub viri posita fuit obedientia, sed tamen sine pœna & confusione non euasit. Nam corpus exanime viri ad Ecclesiam secuta, falcem, segetem, de manibus suis & ipsa excutere non potuit, quousq; coram populo & clero argumētum hoc illicitę operationis probaretur. Sepulto igitur viro, abeunte cum timore populo, mulier quoq; soluta est. Ex hoc autem factu populus maiorem Dei genitrici reuerentiam maioremq; alijs festis celebritatem doctus est exhibere.

QVOMODO AD RVTHENOS
ire voluit predicandi gratia.

XXVIII.

QUANTEREA RVTHENI comperta fide conuersione STETINENSIVM, quia in Christianitate penitus roborati sunt, à societate illorum se auerterunt, commercia omnia mutuaq; negotia institorum ex indignatione abruptentes quasi alterius iam fidei populo communicare in talibus non deberent. Isti autem sæpenumero à multis prædicatoribus ad fidem vocati, de integro nulli submittere se voluerunt, sed aljs credentibus, alij non credebant, atq; ex maiori parte paganis

nicis ritibus degentes, semina fidei veluti spinæ suffocantes, illic conualescere non sinebant. RUTHENIA vero DANOS adiunctos habet. Porro Archiepiscopo DANORVM etiam Ruthenia subiecta esse debuit. Sed populo fidē Catholicam propulsante, superfluum est sacerdotes de parochiæ terminis litigare. RUTHENI ergo paulatim crescēte odio, STETINENSIBVS publice aduersari cœperunt. Et primo quod naues illorum à litoribus suis arcere, post naues illorum submergere, post ex comūni decreto hostes eos statuunt; OTTONI Episcopo mandantes (audierant enim quod ille ad prædicandum venire vellet) ne vnquam fines eorum contingeret. Dicebant enim nihil cum apud se inventurum nisi acerbas pœnas & mortem certissimam. Ille autē accepta tali legatione, tacite apud se exultat, animū parat ad martyrium, cogitat disponere omnia, tractat anxie apud se, an melius sit solum se ad tale conuiuium ire, an cū multis. STETINENSES autē quidam boni viri & prudentes in comitatu Episcopi erant IVLINÆ gnari locorū, prouinciarum, & morum cuiusq; gentis. Hos ergo paulatim Episcopus interrogat, rationibus prætemptabat, scire volens, si quomodo Christus per eos se illuc perducere dignaretur. At illi de origine RUTHENIÆ gentis, de feritate animorum, de instabilitate fidei, & bestiali eorū conuersatione multa ei narrātes, hocq; Archiepiscopo DANORVM subiecti esse debuerint, non tacebant. Sperans ergo Episcopus gratum fore illi, si conuerti possent, simulq; attendens congruum esse quod per eius licētiā ac permissiōnem ad prædicandum in eius parochiam veniret, Inuanū venerabilem presbyterum de latere suo & alios nuncios nauigio cum literis, muneribus, illo pro licentiā direxit. Archiepiscopus vero in maximo gaudio & honore legatos accepit, habitisq; apud se multa humanitate plurima

de statu, de doctrina, & de operibus beati OTTONIS præconabatur. Erat autem vir bonus & simplex, bonarum rerum cupidus auditor, non mediocris scientiæ ac religionis, in exterioribus tamen SCLAVICÆ rusticitatis. Nam & homines terræ illius tales sunt, ut maxima vbertate atque divitijs, generali quadam duritia, omnes inculti videantur & agrestes. Urbes sibi & castra sine muro & turribus, ligno tamē ac forstatis muniuntur. Ecclesiæ ac domus nobilium humiles ex*temate. Studia hominū aut venatio aut piscatio est vel pecorum pastura. In his etenim omnes divitiarum illorum consistunt. Siquidem agrorum cultus rarus ibi est. Porro in victu vel in habitu vestium parum lauti habent aut pulchritudinis nostri. Unde ergo mediocres in cōparatione illorum gloriosi erant. PONAIVS vero presbyter archiepiscopo ipso maior esse videbatur. Cumque esset bonioris ad omnia compositè respondens, illum valde oblectabat, nihilque satis ei esse potuit, quidquid de OTTONE audiebat. Fama enim ante annos plures hunc notum habuit, & nunc quidem gloriari atque lætari abundantius cœpit, quæ eius dignos & præclaros nuncios præsentis haberet, cuius tanta & præclara facta vulgari fama passim prædicari præaudisset. De legatione autem eius ad præfens nihil se respondere posse dicebat, nisi ante principes DANORVM atque magnates per aliquas inducias consulisset. Inuanus autem & legati hoc longum sibi iudicantes, dimitti se rogant, ne super eorum mora contristaretur Episcopus. Annuit ille cum benignitate ac litteras, donaria, navemque grādiusculam butyro plenam, signum dilectionis & amicitiae mittens Episcopo dicebat; ex consilio principum per suos legatos de verbo prædicationis se responsurum. Quod utrum industria an simpliciter dixerit, nobis compertum non est. Nam cum per aliquot dies ei nuncios expectaret Episcopus,

hunc ante Ponaivum vocat.

pus, de partibus ALAMANNIÆ de domo BABERGENSI
plures nuncijs venerunt, magnis & necessarijs causis Epi-
scopum reuocantes.

QUANTO GAUDIO POST
reconciliatos Deo Pommeranos ad
Episcopatum rediens acce-
ptus sit.

RVTHENI autem crebris insultibus POMME-
RANOS laceſſunt & STETINENSIVM fines ar-
matis nauibus perturbant. Cumq; ſemel & bis
repercuſſi à bello ceſſare noluiſſent, STETI-
NENSES ex conſilio communi, arma tractare cœperunt,
atq; iterum venientibus coadunatis viribus occurrere. Sed
quid plura? Tanta ſtrage RVTHENI fuſi ſunt & tanti ex eis
in captiuitatem redacti, vt qui euadere potuerunt, nul-
lum vltra victoribus bellum intulerunt. STETINENSES igi-
tur hac victoria potiti, domino Ieſu Chriſto & ſeruo
eius OTTONI honorem adſcribebant. RVTHENI eos vltra
iam non timentes, ſed ex captiuitatibus ad humiles ſatisq;
indignas compoſitiones eos aſtringentes. Beatiffimus
proinde OTTO omnibus propter quæ venerat bene com-
pletis, viſitans omnes quos potuit de eorum vale in maxi-
ma lætitia illis faciebat per ducẽ POLONIÆ ac per alios a-
micos ſuos tunc ad ſedem ſuam relegans. Itaq; aliquot die-
bus gratioſa ſui præſentia & cæcis aſpectibus Ducem, PO-
LONIENSES dilectos dilectores ſuos in plenitudine ſancti-
tatis manſuetudinis & gratiæ lætificans ita ſe promouit, vt
in Vigilia ſancti THOMÆ Babenbergorum in Eccle-
ſia Cathedrali in multo deſiderio & exſpectatione ſuo-
rum quaſi de victoria cum exultatione rediens ſuſcipere-
tur,

XXIX.

retur, cantantibus clero & monachis tota mente totisque
verbis: *Domine suscipe me ut cum fratribus meis sim.*

DE NOBILIOPERIMENTO

*à Polizlao misso; quomodo eo
usus sit.*

XXX.

XIXX

DVX POLONIÆ POLIZLAUS omnesq; meliores
terræ illi summa amicitia coniuncti erant; fre-
quentes ei salutationes & literas mittebant, do-
narijs suis eum magnificè honorantes, quia meritis ipsius
ac precibus se apud dominum iuuari plurimum posse con-
fidebant. Alij quoque principes ac diuites de omnibus
terræ audientes famam operum eius, audientes eleemo-
synas ei læpnumero ingentia dona mittebant, socios se
fieri & conparticipes studiorum eius deuote postulantes,
quadam vice tegimentum nocturnale mirabilis pretij de
serico auro megalina pelle confectum inter alia ei dona
allatum est, ipseq; auctor domi specialis amicitia signum
hoc esse nuncians, obnixè rogabat, ut in recordatione sui
eius usum dignaretur; ne ué de profligatione rei causaret;
deuote promittit, hoc detecto vel parumper absumpto,
aliud se transmissurum. At præsul accepta veste plicat eam
ac replicat, & diligenter vndique perfectam vestiario suo
commendat. Deinde portitoribus & legatis sub perso-
na mittentis reuerenter inclinatur, gratiaque agit dicens,
Siquidem magnæ dilectionis munus hoc testimonium
est. Et ego in memoriam datoris in perpetuum illud ser-
uare curabo ita sartum ut nec mures vel vlli fures furen-
tur vel tineæ demoliantur aut ærugo. Habebat autem cog-
nitos & ex nominibus proprijs notatos omnes paralyti-
cos,

cos, languidos, cancerosos siue leprosos de ciuitate sua, modum, tempus, & quantitatem languoris eorum per se inuestigans, congruaque subsidia omnibus prouidebat & per curatores. Vocato igitur vestiario suo, Tolle, ait, præolarum istud & carum mihi tegimentum, ac pone super illum paralyticum, nomine illum designans, quem sciebat longis doloribus adtractatum, vlceribus scatentem & vermibus, cuius foetorem vicinia tota perhorrebat. Abijt ille & iuxta mandatum Episcopi delicatissima veste miserimum illum cooperuit, mirantibus ac stupentibus omnibus qui hoc viderant. Erant autem complures maiores ac nobiliores, talia dona de manibus illius accipere consueti qui spe huius delusi vix ab iniuria linguas retinebant, dicentes, non opus esse megalinis pellibus leprosos ac paralyticos tegi, quibus vtique ouium vel leporum vestiméta sufficere potuissent. Sed sunt aliqui Episcoporum qui si hanc vestem corpori subtraherét, proprio sanguini iniuriám inferri fortasse non negarent, qui terrenæ sapientiæ dediti tales sumptus festiuitatem vocant, qui cor trahentes in terra lingua cœlum pulsant, qui terrenum habent fundamentum, rem suam humanis præsidijs tutãdam putant, moles turrium & interim massam murorũ multis sumptibus coaceruantes, spiritualia munimenta vilipendunt. Verum OTTONI beatissimo non ea mens erat, omnem fiduciam in diuinitatis ope collocabat. Castra quidem & vrbes ad terrenos vsus quandoque parabat: sed longe maior Ecclesiarum vel monasteriorum ei cura fuit,

Nnn Quid

QVID DE SAGITTIS PRO
munere à Fabro oblati
fecerit.

LX.



ABER quidam peritissimus de arte suo Episco-
po innotescere cupiens, telorum ac diuersi ge-
neris sagittarum ad opus bellicum mirabiliter
præparatarum sportam plenam adportauit, vt in vrbibus
& propugnaculis Episcopi futuris necessitatibus seruari
debuissent. Episcopus vero gratias quidem egit homi-
ni, pro munere dignam illico mercedem rependens, sed
manu propria vnam leuâs quæ triplici acie ac longo acu-
mine visu etiam erat terribilis, Quare, inquit, istam tam
longam tam subtilem, tam acutam fecisti? Ille, tales, in-
quit, facimus ad penetrandas loricas & clypeos. Impulsi
enim balistæ tales sagittæ nec scuto nec thoraci tueri si-
nunt hominem. Cui Episcopus, Ego, inquit, agam, vt
mortales se de his non mortificent. Iubetq; omnes simul
leuari, sicut erant in cophino, portitoribus dicens: Fer-
te has ALBERTO HERMANNO rogantes diligen-
ter vt mei causa in obsequio Domini expendat, ne mor-
tibus hominum aptentur. habebat autem Abbas in ma-
nibus opus, tectum videlicet Ecclesiæ sancti MICHAEL
Archangeli. Acceptis ergo sagittis patula retro haurimē-
ta omnibus conuolui iussit ac de nobilissimis sagit-
tis clauos tegularum fabricans tecto illos
Ecclesiæ coaptauit.



QVOMO.

DE OECONOMO EIVS RV-
dolfo Equitaturis eius, qualiter
sit eis usus.



VIDAM œconomorum eius RV DOLFVS vir bo-
nus ac prudens, ad eum propter domesticas
causas veniebat, cumq; pro explicandis rebus
apud eum aliquandiu demoraretur, Episcopus more suo
egressus visitare Xenodochium, stabulum transiit œco-
nomi, vidensque duos equos fortes & eleganti corpore,
à comitantibus, cuius nam hi sint inquit; sed illi procu-
ratoris sui esse eos dicunt. Bene, inquit, magni sunt & for-
tes: certe portare habent precia & redemptiones capti-
uorum in terra POMERANORVM. Audierat enim quos-
dam de baptizatis suis in ciuitate barbararum gentium
fuisse captiuos. Sublatis ergo equis œconomus reagni-
ta ad Episcopum venit, de via sua & negotijs suis insinuat,
equitaturas repetit, quas si habere non possit, ad omnia
se impeditum dicit. Cui Episcopus, Non irascaris, obsecro,
lucrum quoddam & negotiationem cogitavi: esto socius
meus. Agamus pariter vt de fructu & lucro actionis pari-
ter gaudeamus. Decem equos pannis oneratos in PO-
MERANIAM missurus opera tua indigeo.

Omniem igitur pannum qui ad vsus nostros in partibus
SAXONIÆ repositus seruatur in argentabis, insuper om-
nes pecunias de redditibus earundem partium ad nos
pertinentium, quas colligere poteris cuncta simul ad nun-
dinas HALLÆ portabis. Nosti etenim nobiles, puros, &
preciosos pannos in terra POMERANORVM caros frugi
mercatu HALLÆ inuēiri. Igitur qdquid, ex præfata pecunia
fustani, & purpure, puruiati, fricatiq; quoq; seu alteri^o cuius-
libet

liber optimi generis vel coloris pannorum coemere poteris in sarcinas concludes, aliasque species gloriosas & res pulchras emens, omnia his iumentis in POMMERANIAM diriges, partim dona maioribus, reliqua vero cauta venditione habita precium captiuus quos in barbaras nationes abductos constiterit. Hæc autem si, vt dictum est, ita exequi potuerimus, nec tu nec ego fructu inanes nec sine mercede in futura vita remanebimus. Hac etenim causa equitaturas tuas abstuli. Abijt homo & quia fidelis erat, omnia sicut Episcopus ordinauerat haud segniter impleuit. Munerantur honestiores, institor OTTONIS laudatur, forum eius ac distractio populo rudi admirationi fuit & exemplo, certatimq; cuncti rapientes res duplo emebant, tum præ dilectione pontificis, tum etiam quia precium redemptionis esse sciebant.

QVOMODO AMICITIAS
cum Bela rege Vngaria composue-
rint.

XLII.



IS omnibus ad votum Episcopi explicitis, eundem œconomum mittit ad Regem HUNGARVM illum beatæ memoriæ BELAM, qui à patre suo COLOMANNO rege cum patre suo almo Duce in diebus adolescentiæ luminibus priuatus, postea in regnum sublimatus est, oculisq; fidei ac sapientia mentis præditus rempublicam VNGARORVM per annos plures gnauiter administrauit, plenus orationibus plenus & operibus bonis, & eleemosynis. Certus itaq; de strenuitate RVDOLFI Episcopus, cuius memoria semper in benedictione sit, qui ad omnia studia misericordiæ sedulus ei minister erat, ad prædictum regem BELAM magnum eleemosy.

emofynatorem cum literis ac donarijs cum direxit, parare amicitias ac societatem, noticiam quoque ac parilitatem studiorum in operib^o misericordix, accendere hominem sanctum ad desiderium future expectationis, ad gaudium eternæ vitæ atq; beatitudinis, BELA igitur accepto nuncio auditisq; literis Episcopi, spirituali gratia & diuina cōsolatione plenis lætatus est valde, atq; in festo paschali, quod apud VNGAROS etiam propter ipsius terræ maximā vbertatem multa epularum largitate splendide ac delicatè celebrari solet, magnifice habuit nuncios OTTONIS, vitam, eius conuersionem statim crebro & opera interrogans, miraturq; omnia quæ de illo audiuit, magnæ felicitati adscribens, quod talis viri dona & literas per nuncios accipere meruisset. Consummatis ergo diebus cum tempus esset dimittendi legatos, multa deuotione sacris beati viri orationibus rex sese commendans dona multiplicat, vasa aurea & argentea & vestes preciosas mittit, in super viginti libras excocti auri, specialiter obsecrans, vt has in aliquos diuinos vsus in recordationem sui expendere dignaretur. Episcopus ergo acceptis donis & auro, nil moratus beato MICHAELI hoc obtulit, CRVCIS decus in nomine SALVATORIS de hoc fieri mandans, additque de suo auri quantitatem & gemmas, & clusorem conducens insigne trecentas argentij marcas valitutum ad honorem Dei & vtilitatem Ecclesiæ fabricatus est.



RELATIO DE SOPHIA EIVS-
dem Bela.

XLIII.



ED quia BELÆ VNGARICI regis mentio inci-
dit, pauca de filia eius Sophia, quæ in proposito
virginitatis sub sacro velamine inter sacras vir-
gines Admotēsis cœnobij laudabiliter degit, li-
cet à proposito discordent, inferenda sunt, si quos forte
legentium siue audientium posthac lucri facere eius ex-
emplo dominus hac lectione dignetur. Hæc etenim an-
te annos nobiles petita est HEINRICO puero CONRADI
regis TEVTONICORVM filio primogenito, BELA ergo cum
sæpe rogatus adqueuisset hanc illi dare, & nuncij propte-
rea venissent Archiepiscopi & Episcopi alijsq; primates de
regno ALEMANNIÆ, vt iuxta imperialē magnificentiam
clare ad nuptias duceretur, hoc ordine, hac ratione ad
sponsalia eam direxit, DOMINE, inquiens, celi ac terræ, tu
omnia vides: ego vero nihil video, Tua ordinatione, sicut
voluisti, domine, cæcus factus sum. Sed tu omnia videns,
intueris abdita cordium, vides præterita præsentia & fu-
tura indifferenter. Et manus ponens super caput filiæ, Hic
inquit, Domine, mihi vnica est filia: hac me sola prole fe-
minea in tua miseratione beasti, hanc hodie te teste, te ad
auxilium nostrum inuocato, ad nuptias mitto, hanc te co-
mitante præsentib⁹ nuncijs comitto, tali tali fixa inter me
& te, domine Deus, conditione, vt nunquam eam dese-
ras. & si forte is qui eam petit filio suo dominus Imperator
CHONRADVS vnquam mali quidquam aduersus eam co-
gitauerit, tua in protectione tibi hanc commissam habeas.
Ad legatos autem, En, inquit, coram vobis, & tollite filiam
meam, ducite eam Imperatori vestro, & quia mea vita ipsa
mihi carior est, omne quod charum vel preciosum habeo
cum

cum ea transmittit. Iussitq; apportari omnia regalia sua, capelam suam totam cum patrocinijs sanctorum, cum imensis paraturis & vrensilibus aureis & argenteis, cum tentorijs ac papilionibus, cum iumentis optimis ad subuectionem rerum, insuper aurum & argentum absque vlla estimatione, dona genero suo ac filia. Et apprehendens scrinium, in quo erat patrocinium beati BLASII, statuit super hoc filiam suam: de hinc ad legatos, En, inquit, filiam meam cum patrono suo. In hac verba, vt locutus sum, in nomine domini vobis committo. Igitur abeuntibus nuncijs, exita Vngaria cum ad TAURVM motem CARINTHIAE propinquassent, Imperator CONRADVS obuiam eis mittens ad virgines ADMVNTENSIS cœnobij dominam cum puellis suis interim locari fecit donec oportuno tempore solemni habitacuria conuenienti honestate ad nuptialia vocaretur sacramenta. Dona vero ac omnes diuitias quæ allatae cum ea erant sibi adportari fecit. Itaq; diuersis negotijs ingruentibus, quæ regum animos à propositis retardat, rem explicare præpeditus est. Puer infirmitate præuentus, domina in monasterio permanente ex hac luce subtrahitur. BELA quoq; requieuit in domino & filius eius. GISO ei successit in regno. Qui videns nuptias fororis esse frustratas, nuntios misit, vt reduceretur: sed illa noluit. Secundo misit & tertio: sed illa redire abnuuit. Ad extremum reputans apud se, vi fortasse teneri eam à rectoribus monasterij, indignari cepit aduersus locum, & nisi quantocius redderetur, excidium vastationemq; minari. Sed virgo castissima mente & corpore ad omne bonum disposita, Deo magis quam seculo placere desiderans, fororibus ibidem degentibus adherere, apertisq; ostijs claustricū abbas in eius posuisset deliberatione, intus manere vel ad nuncios fratris exire, manere intus deligit & nunquam à proposito virginittatis recedere.

Rex

Rex autem nimio germanitatis affectu circa sororem affectus cum secundum seculi huius magnitudinem sublimare eam vellet, modo vi modo astu & ingenio teneri eam querebatur, habitoq; cum necessarijs cōsilio ire parat liberare eam in manu forti. Sed viri magni & prudentes, quos consilio suo adsciuerat, regem monebant non abire, nec cito THEVTONICORVM regno bellum importari oportere sine causa belli, optimum esse factu, vt missa persona publica & honesto comitatu cum decore ac disciplina dominam repeterēt, quæ si inordinate deriuētur, iustas demum commotionis causas fore: Sed quid multis? Licet ægre facto animo rex audiuit consilium: mittit ducem vnum virum fortem cognatum suum, amatorem gloriæ suæ & cum eo militiam magnam. Et ecce ventum est ADMVNTI. Abbas vero & fratres conspecta multitudine & potentia legati, rem agi serio vident, turbantur, præsidia orationi quærunt. Deinde egressi ad legatos responsa tyranni tristes accipiunt scilicet vt puellam reddant, aut graues regis Vngarorum experiantur inimicitias. Abbas vero vir dignę auctoritatis, gnarus ad omnia maturoq; pollens consilio meritis, ac religione, decus & firmamentum monastici ordinis, ad verba legatorum his paucis respōdit, In hac causa nihil à nobis perperam actum est siue agatur. Sed hodie curam corporum vestrorū, quia itinere fatigati estis, veluti agatis, Negotium vero vestrum crastina dies expediet. Itaque lauto apparatu epularum multaque diligentia eis ministratur. Sequenti vero die Abbas ad legatos, Et quid, inquit, facietis, si domina vestra sponte vobiscum venire noluerit? Nunquid inuitam abstrahetis? Nunquid nolenti & renitenti manus violentas iniicietis? si quidem hoc regibus ac reginis extremū est dedecus, vi trahi ad quod nolit, & mitti quando non velit,

velit, atq; alienæ voluntati seu violentiæ mancipari, non id puto conuenire libertati ingenuæ. At illi, Sic, inquit, & nos eam libertati suæ restitueamus, & non vim, sed obsequium præbeamus eunti. Denique si ab indigna coactione soluta, libertati fuerit restituta, certe quiddam propria deliberatione elegerit, neq; vos neq; nos prohibere debemus: & Rex VNGARORVM inuictissim^o indecenter vel contra decus regum sanguinis habitam germanam suam conterrinam causari non poterit. Placuit sermo Abbati & fratribus venientesque in atrium Basilicæ ante fores claustrum, quo virgo sancta cum conuirginib⁹ clausa degerebat, duos faciebant globos, seorsum legati & milites populusq; mult⁹ qui ad spectaculū venerat, & seorsum Abbas cū fratribus. Referantur postes, ianux claustrales panduntur, regina ad nuncios exire rogatur. Negat illa, Nihil sibi & eis esse dicens. lege se loci limen ianux nisi morte obita non esse transituram. Docetur ergo quid inter Abbatem, & legatos sententiæ ac rationis de ipsa constiterit. Illam de sub claustris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione solui, cæterum in eius arbitrio locandum, quam sibi viam elegerit. At illa fœmineo corpore viriles animos gerens, vbi vidit, quia sic necesse est, neque litem aliter posse decidi, pede limini imposto, En, ait, sancta M A R I A domina mea, patrona mea, mater Domini mei Iesu Christi sponsi mei, salua gratia tua & pace, te duce, te comite, limina tua trãseo; te adiuuante, te protegente, cito reuersura, tibi cõmendo causam meã, virgo vrginum. Et tu beate B L A S I martyr Christi patrone A P M O N T E N S I V M Domine ac dominator loci huius qui me à parente meo tibi commendatam diuina ordinatione in hæc tua tecta suscepisti peregrinam, obsecro ne me derelinquas. His dictis flebant virgines, fratres flebant, vni-

O o o uerfi

uersi egrediuntur, illa modesto gradu ac lento in medium tendens. Stabant legati immobiles, vestes tantum ac purpuram gemasq; preciosas in cultū seculi ei allatas offerentes ac protendētes ad reginę animos pelliciēdos. Omnes igitur qui aderāt immoti stabant auidē spectantes & operientes quid esset factura, nullo ei propinquante. Sacra autem virgines stabant, ardentissimē flentes, & orantes, veritē admodum ne tantum decus societatis amitterent. Itaq; virgo libertatem & absolutionē suam in medio pposita satis omnibus ostēderat. ad nuncios conuersa Regina virgo modestē inclinans valefecit eis. Deinde via qua venerat, ad sorores rediens, clara voce, multam compunctionem omnibus excitans, cantare cępit: *Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi.*

Succinentibus cęteris virginibus, quę illam in limine stantem operiebantur, succinentibus pariter & monachis & prosequētib; eam in gaudio & lachrymis vsq; ad introitum ianuę. Omnis quoque populus voces & laudes dedit in excelsum gratias agens Deo, quod virgo nobilis & tenera tam virili mente seculi abiecisset delicias. Nuncij quoque non minus alijs dominum magnificabant, omniaq; ornamenta seu vestes quas in usum seculi ei portauerant monasterio conferunt; & reginę valefacientes eiusque se orationibus commendantes in pace & gaudio ad dominum suum reuertuntur, quę gesta erant ei referentes. Mitigatus est itaque rex ultra à proposito suo illam reuocare desistens. Hac igitur breui digressionē utilitati posterorum consuluerimus. Cęterum ad propositum reuertamur.

Qvo.

QVOMODO AD CONSECRATIONEM monasterii de aegritudine diuino auxilio conualuerit.

QUODAM tempore dum monasterij cuiusdam consummatio dedicationem expectaret, & omnia quæ huius officij ratio poscebat in corporalibus & spiritualibus laute ac diligenter præparata fuissent, omnibus in expectatione positis præsul grandævus molestia corporis laboravit adeoq; infirmatus est, ut ad opus consecrationis vires minimè habens, misso nuncio, in vigilia beati EGIDIÏ ad aliud tempus dedicationem transferendam statueret. Sed quia parata erant omnia & cupientibus animis omnis dilatio inuisa est, duplici mœrore Ecclesia turbari cœpit, pro languore videlicet Episcopi, & pro frustrato desiderio expectatæ consecrationis. Quocirca orationes non cassas mittunt ad dominum vires ac sanitatem præsuli obnixè postulantes. Igitur meridiano tempore in lecto recubans & sopore paululum pressus puerum coram se per somnum ludentem & saltantem videt Episcopus, ac de Psalmo versum crebro cantantem: In domum Domini lætantes ibimus. Expergestus vero, ægros prius artus, fortes inuenit & vegetatos. corpus leuat, sentit gratiam sanitatis redisse: cubicularios citat, interdictum consecrationis mutat, proximoque in die sancti EGIDIÏ sicut antea voluerat in magna lætitia Ecclesiæ dedicationem peragit. Domino sibi vires administrante.

XLIV.

Psal. 122.

000 2

QVOMO.

QUOMODO SENIO ET
laboribus exhaustus diem
obierit.

XLV.

DOSTERO veto tempore tam morbo quam senio exhaustis viribus corporis indies dissolui cepit, & labore infirmitatis continue ad laborum finem tendere. Itaque cum se acrius premente languore in proximo ad dominum speraret migraturum, illud amicis sibi semper ac solitum opus elemosynarum tanto ardentius exercuit, quanto illi constabat, quod diu hoc exercere non daretur. Omnia igitur loca, omnes domus, & curtes circa positae, imo tota ciuitas, eo volente atque iubente, pauperibus & peregrinis repleta fuit, aderant viduarum & orphanorum longa examina clericorum, & monachorum intrantium & exeuntium multitudines negotio beato pij mercatoris iam adire parantis ad extremas nundinas sacras dixerim; in quibus terrenis coelestia, temporalibus aeterna bona comparabat. Feruebant sane circa illius lectum caeli terraeque sancta negotia & Martha semper sollicita, & turbata circa multa, & innumera humanitatis officio nec languida iam mortisque vicina cessauit ab operibus suis plurimis propter vnum, quod sciebat esse necessarium. Cum Abbatibus enim & positis suis de omnibus ordinauit, Ecclesias & cenobia sua & diuersoria intima retractatione digessit, singulisque prout oportuum videbatur, sumptus & necessaria suppluit. Cerneret iam oleam vberem & frugiferam, solita vbertate vberiore, & copiosissimis fructibus onustam, totam se carpentium manibus inclinare. Et reuera mirum valde est, quod hic inexhausta benignitatis archa quae tot ante die

diebus ad erogandum iugiter patuit, adhuc tantillo tempore tantum quod erogaret habere potuerit. O Martha Martha deuota domini, quando vel quomodo sentire egestatem? Quis enim donantium donanti omnia egens vnquam factus est? Interea vero languor magis magisque spiritum luctatē vrgebat, riteque dispositis omnibus, quęcunq; post se victuris præstare potuit, supplici & pura confessione præmissa, olea illa & placida & sacra vnctione facri olei delibuta, propiciabile viaticū corpus domini percipit, & circumstante illo suo semper familiari collegio virorum, religiosanctorum tam monachorum quam clericorum, psalmis & orationibus agonem eius deuote Deo commendantium, plenam operibus bonis & eleemosynis, plenam honoris & gratiæ animam exaltauit in cælum. Quid multa? Flebat ciuitas vniuersa, iuuenes, & virgines, senes cum junioribus: flebat omnis ordo, flebat omnis religio, diuites, & pauperes, nobiles, & mediocres cum plebe rusticana omnes patrem ademptum lugebant amariorum quanto ab omnibus illis carius ipse amabatur. Monasteria & Ecclesiæ longe vel prope posita; Magnates & capitanei prouinciæ, fama mortis eius exciti ex omni parte cõstuebant: se ingratos atq; inertes arbitrati, si eius quem tantopere dilexerant, funeri non adessent, vel si debitos honores tantis exequijs non præstarent,

DE ADVENTV EPISCOPI.



UPERVENIT quoque sacre semper memoriæ
IMBRICO * Orbipolensis Episcopus, vir clarus
& prudens tam eloquij venustate vel ingenio,
quam etiam sapientia præpollens. Superuenit,
inquam, amicus & amici exequias inuisens & dolenti &
ardent-

XLVI.

Herbipolensis

0003

ardent-

ardentissime flenti Ecclesie lugendo ipse ac dolendo luctum auxit & dolorem. Iam enim per totum triduum dormitationis eius corporis gleba per omnes Ecclesias circumferebatur, Sacrificio indefessisq; orationibus & multis eleemosynarum largitionibus beata ei⁹ anima Deo commendata fuerat ab omnibus. Quarto die ubi ad locum tumuli ventum est, Episcopus commendationem celebravit, atq; inter Missarum solemnias quæ pro dilecti patris & amici multa intentione devotus agebat, ad merentem & lugentem conuersus multitudinem, breuè quidè, sed gratiæ dulcedinis plenum intulit sermonem, ita dicēs:

SERMO IPSIVS.

XLVII.



N quid fiet? quid erit consilij? mortua est Martha. Ecce ubi iacet. Quis ergo venientem dominum Iesum in hoc castello amodo suscipiet? Equidem defuncta est, defuncta est Martha, quæ illum suscipere consueuerat. Defuncta est hospita domini Iesu Christi, quæ venienti hospitium præbebat, sed & ponebat mensam; Pariter benigne ac liberaliter ministratum ab eo est; nisi quod non solum ministravit Christo, sed minister & hospes ac susceptor fuit Christianorum. Et quis stabit in loco eius, quis vicem ministerij huius implebit? Quis rogo aget quæ iste agere consuevit? Omnibus gradibus, omnib⁹ ordinibus, omnibus personis Ecclesie valde utilis fuit. Ecce defunctus est, ut vere dicam seruus seruorum Dei, quid facietis monachi? Quid facietis clerici? Quid facietis pauperes & mendici? Quis vobis restituet matrem vestram? Vbi amodo illa materna verbera, vbi maternos affectus quæretis? Sed quæ rere vbiq; potestis; vobis denuncio, nusquam inuenietis. sui temporis enim sæcula (confidenter dico) hunc solum, hunc

8. Vbera

hunc vnum tantæ misericordiæ virum habuerunt. vt enim de alijs virtutibus taceam quæ plurimę fuerunt, sed misericordia & misericordiæ operibus tantus erat, vt nullum penitus ex omnib⁹ mihi notis possim adæquare. Sed quid dicam? doleo dico iterum, doleo vicem illorum, qui in sinum hunc misericordiæ fugere cosueuerunt. Doleo, vt verum fatear, vicem meimetipsius, ac vt ita dicam, me miseret mei meritoq; conturbor. Multum enim præsidij multū solaminis in hoc amico perdidit. hic enim commodus, societate oportunus, magnum mihi fuit præsidium. cum hoc fiducialiter ac tute omnes curas meas, omnia negotia seu consilia pensiora communicare solebam. hic mihi, vt breuiter dicam, in omnibus oportunitatib⁹ meis magnus fuit subleuator. De me certe dico. Nā mei nominis ordo vniuersus, videlicet ordo pontificalis hoc adempto compare, merito lugebit. Conuentus quippe nostros in cōcilijs siue curijs, virtutum suarum radijs collustrabat. In hoc vt ita dicam, quasi in veteri libro, quomodo nobis viuendum, vel quid agendum esset conspiciebamus. Sanctæ enim exempla, sanctę actiones magis erudiunt, quam verba. Sed doctrina hæc, ô dolor, rara est in hominibus: quotquot sumus, eloquio magis, quam exemplo proximos edificare studemus. Sed ille & eloquio & exemplo, dixit & fecit. Talem Martham de medio nostri ablatā æqua mēte quis ferat? Sed vado ad altiores. Huius certe interitū, o Romane pōtifex caput sacrosanctę Ecclesię senties; & tu regnator orbis, . . . Imperator Rom. Auguste casum Pontificis huius experieris. Ambo permaxima magnaq; clade multati estis. Magnus enim ad hoc ille ambi dexter vobis occubuit. Occubuit ille qui vtraq; manu p dextera utebatur Israheliticę gentis ductor egregius. Occubuit, inquam qui potis erat & industrius & prona voluntate reddere

quæ

Matt 22,

quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ sunt Dei. Non tibi, o Imperialis maiestas, non tibi cito confurget alia colûna, cui tam fiducialiter inniti queas. hic te quidem non solum diuitiis & prudentia sæculari, sed, quod vtraque maius est, sanctitate suffulsi. Sanctitate, & virtutum meritis Imperatorem pa-----subleuauit. Iusticia enim & san-----dextra eius non parua-----non acta. non parua hæc mutatio dextræ Dei. Non ergo leuiter ferenda talis viri mors. Vbi amodo tale ingenium, talem prudentiam, talem bonitatem inueniemus? Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum spirituales, detrimenta illorum lamenta nobis faciunt. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis & pauperibus, qui ad has manus spectare consueuerant? lugetis video & fletis OTTONEM nostrum; & certe non immerito. vobis enim ille occubuit, vobis ablati sunt. Vos nempè o monachi spiritualis populus eius & oues manus eius. hic profecto erat qui de abundantia diuitum huius mundi vestram supplere sollicitus fuit inopiam. hic magnæ auctoritatis exemplo gloriari solebat, dicens, Spolians Ægyptios, ditavi Hebræos. nam reuera sanctè ac religiosè multa sæcularibus extorsit, quibus penuriam subleuaret spiritualium. Sancta & religiosa fraude, vt ita dicam, diuites circumueniebat, vt eleemosynas facerent quandoq; non cogitatas. Argumentosus enim erat in lucris diuinis. Nam & manus Domini cum eo erat. O quam multos diuites cum suis omnibus diuitijs ad spirituales vitam traiecit? quidquid personarum, quidquid rerum vel operum sæculo auferre potuit, Deo aptauit, pietatis ac misericordiæ obtentu. Quid multa? misericordia eius, super omnia opera eius. misericordia Dei ante oculos eius semper fuit. Orate ergo fratres dilectissimi, Orate attentius, vt & ipse hodie misericordiam consequa-

sequatur. Orate vt illa beatissima anima, quam credidit, quam sperauit, quam dilexit, re ipsa Dei misericordiam hodie percipiat. Equidem non surdis auribus illud euangelicum accepit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et: *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est: nullus autem misericors esse potest qui non & humilis fuit.* Omnis ergo misericors, & humilis est. Vnde inferre possumus bene, quod veram & coram Deo probatam habuit humilitatem Spiritus eius, qui tantæ misericordiæ exitit. Interuentu ergo beatæ Dei Genitricis *MARIÆ*, cui semper deuotus fuit; interuentu beati *MICHAELIS* Archangeli, cuius *Ecclesiæ* reparator & sublimator, hodie conspicitur, quem patronum & seruatorem & corpori & animæ suæ delegit, interuentuque omnium beatorum spirituum spiritus eius diuinam misericordiam consequatur; Ipsorum, inquam, atque omnium Sanctorum suorum meritis, si vspiam, sicut est humanæ fragilitatis, tanta eius opera, tantæ ipsius miseratio- nes & benefacta, humana laude vel laudis intentione titilata vel maculata: nihil enim satis purū coram summo iudice; rogate quæso attētius: oremus omnes pariter vt hoc abolere, hoc tollere dignetur ipse, qui tollit peccata mundi Agnus Dei dominus noster Iesus Christus, qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Quanta vero vociferatione quanto mugitu quantis affectibus & lachrymis omnes *AMEN* responderint, dici non potest. Sic ergo finita Missa, in loco, vbi canitur, in Ecclesia beati *MICHAELIS*, Comitibus, Marchionib⁹ seu alijs quibuslibet nobilibus feretrum eius certatim gestantibus sarcophagum, leuantibus, seu alia quæ ibi erant necessaria operantium more suis manibus deuotissime agentibus,

PPP eius

cuius corpus tumulatum est. Anno Dominice incarnationis M. XXX. VIII. tertio Nonas Iulij, feliciter.
A M E N.

EXPLICIT LIBER TERTIVS DE VI-
ta & virtutibus beati OTTONIS Babergen-
sis Episcopi Confessoris & Pomeranice
gentis Apostoli, &c.



AR-